
HARVARD
COLLEGE
LIBRARY



DE LUCIO PATRENSI

SIVE

DE RATIONE INTER ASINUM Q. F. LUCIANEUM APULEIQUE METAMORPHOSES INTERCEDENTE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE XIII. M. AUGUSTI A. MDCCCLXXXVII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Karl

~~CAROLUS~~ BÜRGER

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

A. BRIEL, DR. PHIL.
A. MEYER, DR. PHIL.
J. TSCHIEDEL, CAND. PHIL.

BEROLINI 1887.

BERLINER BUCHDRUCKEREI-ACTIEN-GESELLSCHAFT
SETZERINNEN-SCHULE DES LETTE-VEREINS.

AVIAE CARISSIMAE.

Lucii iuvenis in Asinum mutati miri variique casus duobus libris nobis traditi sunt, Asino, qui fertur, Lucianeo Apuleique Metamorphosibus. Eiusdem argumenti tertiam narrationem exhibitam fuisse in Lucii cuiusdam Patrensis Metamorphoseon libris duobus prioribus testis est Photius in cod. 129. De ratione, quae intercederet inter hos tres libellos, multi saepe viri docti verba fecerunt. Sed quot capita, tot sensus. Unde dubitet fortasse quispiam, num omnino haec res recte diiudicari possit ac non potius in eis quaestionibus numeranda sit non paucis, quae eadem probabilitate in diversas partes disputentur. Quod ego secus existimo. Dissentiendi enim causa in eo maxime posita esse mihi videtur, quod plerique omissa quaerendi subtilitate meras coniecturas fuderunt. Quorum sententias, cum prorsus nullam auctoritatem arrogare sibi possint, meo iure mihi videor posse omittere. Ex eis autem, qui diligentius hanc rem tractaverunt, permulti in eo peccaverunt, quod a nimis incertis initiis disputationes et rationes suas duxerunt. Neque enim ab eis duobus libellis, qui etiamnunc exstant, diligenter examinandis profecti sunt, sed a Photii de Lucii Lucianique librorum ordine et compositione iudicio satis negligenti et sibi ipsi in multis rebus parum constante. Non mirum tali in fundamento non certas firmasque sententias exstructas esse, sed levissimas opinationes ab aliis aliter fictas. Sicut Wielandius[1]) Asinum Lucianeum postea ab homine nescio quo usque ad duorum librorum ambitum dilatatum esse, Courierus[2]) et Asinum et duos illos Metamorphoseon libros ab eodem Lucio Patrensi compositos esse, Rohdeus[3]) asinum parodiam prioris alicuius et longioris Lucii

[1]) *Lucianübersetzung* vol. 4 pg. 296 f.

[2]) La Luciade ou L'âne. Paris 1818 préface pg. 3 f.

[3]) *Ueber Lukians Schrift* Λούκιος ἢ ὄνος. *Eine litterarhistorische Untersuchung.* Leipzig, 1869.

Patrensis operis fuisse rationibus diversissimis sibi persuaserunt. Quas coniecturas singulas accurate percensere et refellere longum est; in universum hac disputatione satis redarguentur. De una Rohdei coniectura, quae ex omnibus et novissima sit et acutissima, postea, cum de Photii sententia verba faciam, diligentius disseram. Cuius in libello ceteras quoque omnes accurate relatas invenies atque aestimatas pp. 3—6.

Sed ad hanc quaestionem recte diiudicandam necessario disputationem ab eis duobus libris ducendam esse, qui nobis etiamnunc praesto sunt, Apulei Metamorphosibus Asinoque ,Lucianeo' primi recte perspexerunt Teuffelius[1]) Knautiusque[2]). Verum tamen hi quoque cum Asinum Lucianeum et Lucii Patrensis et Apulei Metamorphoseon fontem esse censerent, longe a vero aberraverunt. Neque hoc mirum, cum Teuffelius totam rem non satis accurate tractaverit, Knautius contra animo praeoccupato ad eam accesserit et quavis ratione Asinum Lucianeum duarum reliquarum narrationum fontem esse demonstrare parato. Multo maiore et diligentia et fructu post illos de hac re disputavit Goldbacherus[3]) atque omnibus Asini Metamorphoseonque diversitatibus diligentissime perpensitatis eam sibi effinxit sententiam, ut Lucii Patrensis Metamorphoses amborum horum liborum commune exemplar esse putaret, unde Asinus in epitomen coactus, Metamorphoses multarum fabularum admixtione auctae essent. Libenter profiteor me in universum cum eo prorsus consentire, etiamsi non ignorem multa in eius libello aperte falsa esse, multa ad persuadendum minime apta. Unde factum esse puto, ut quamquam ab eo tota quaestio accurate pertractata est ea ratione, qua sola ad certum finem perveniri potest, tamen denuo illo non respecto coniecturae variae neque ab ulla parte stabilitae proferri coeptae sint. Sicut prorsus nova attulerunt et Diltheyus[4]), cum Metamorphoseon libros ab Apuleio

---

[1]) *Rhein. Mus.* XIX pp. 243—254 et *Studien und Charakteristiken* pp. 446—457.

[2]) de Luciano libelli, qui inscribitur Lucius, auctore. Lipsiae 1868.

[3]) *Zeitschrift f. oest. Gym.* XXIII pp. 323—341 et 403—421.

[4]) *Göttinger Festrede 1879 p.* 12. *„Es lässt sich, wenn ich nicht irre, wahrscheinlich machen, dass Apuleius zuerst die Metamorphosen in seinen jüngeren Jahren und wohl ohne seinen Namen griechisch herausgab,*

primum Graece conscriptos esse et editos, deinde longo temporis interiecto spatio multis mutatis in Latinum versos censuit et novissime Maassius,[1]) cum Asinum Lucianeum ex Metamorphosibus Apuleianis fluxisse affirmavit. Paullo ante Rohdeus quoque denuo huius quaestionis mentionem iniecit et fidenter professus est nulla ex parte opinionem suam esse labefactatam.[2]) Vides, quanta rursus orta sit confusio et dissensio sententiarum, ita ut neque inutile videatur neque non opportunum denuo in hanc rem inquirere atque illa ratione, quam Goldbacherus praeivit, paullo longius progredientem multoque accuratius singula examinantem anniti et experiri, si tandem certi quid inveniatur. πείρᾳ θὴν πάντα τελεῖται.

Caput I.

Priusquam ad eam partem accedamus, quae est summa totius disputationis, ut Apulei Metamorphoseon Asinique ‚Lucianei' diversitates quam diligentissime comparemus, brevis disputatio praemittenda est de Photii, quem supra citavi, loco, ut intellegas, cur idoneo illo fundamento uti nequeas.

Verba Photii haec sunt (in cod. 129 pp. 96^b 12 Bekker) „᾽Ανεγνώσθη Λουκίου Πατρέως μεταμορφώσεων λόγοι διάφοροι. ἔστι

---

später mit vielfachen Änderungen und etwas ernster gehalten in lateinischer Bearbeitung. Die griechische Fassung ist verloren gegangen, aber der Patriarch Photius las sie noch im 9. Jahrhundert und war des guten Glaubens, dass der Held der Geschichte, Lucius von Paträ, weil er das ganze in der ersten Person vortrug, auch wirklich ihr Verfasser sei. Ein Auszug aus dem griechischen Original ist uns zwischen Lucians Schriften unter dem Titel ‚Lucius oder der Esel' erhalten, aber sicherlich von Lucian nicht angefertigt.“

[1]) index schol. Gryph. 1886/87 p. XIV annot. 2. „Quae cum ita sint ‚Lucianus' ipsum Apuleium respicere videtur.“

[2]) *Rhein. Mus. vol. 40. (1885) p. 91. „Seitdem ist nichts zu meiner Kenntnis gekommen, was mich zu einer Aenderung der dort (in libello quem p. 1[3] laudavi) vorgetragenen Meinung veranlassen könnte.*

δὲ τὴν φράσιν σαφής τε καὶ καθαρὸς καὶ φίλος γλυκύτητος· φεύγων δὲ τὴν ἐν λόγοις καινοτομίαν εἰς ὑπερβολὴν διώκει τὴν ἐν τοῖς διηγήμασι τερατείαν, καὶ ὡς ἄν τις εἴποι, ἄλλος ἐστὶ Λουκιανός. οἱ δέ γε πρῶτοι αὐτοῦ δύο λόγοι μόνον οὐ μετεγράφησαν Λουκίῳ ἐκ τοῦ Λουκιανοῦ λόγου, ὃς ἐπιγέγραπται Λοῦκις ἢ Ὄνος, ἢ ἐκ τῶν Λουκίου λόγων Λουκιανῷ. ἔοικε δὲ μᾶλλον ὁ Λουκιανὸς μεταγράφοντι ὅσον εἰκάζειν. τίς γὰρ χρόνῳ πρεσβύτερος, οὔπω ἔχομεν γνῶναι. καὶ γὰρ ὡς ἀπὸ πλάτους τῶν Λουκίου λόγων ὁ Λουκιανὸς ἀπολεπτύνας καὶ περιελών, ὅσα μὴ ἐδόκει αὐτῷ πρὸς τὸν οἰκεῖον χρήσιμα σκοπόν, αὐταῖς τε λέξεσι καὶ συντάξεσιν εἰς ἕνα τὰ λοιπὰ συναρμόσας λόγον, Λοῦκις ἢ Ὄνος ἐπέγραψε τὸ ἐκεῖθεν ὑποσυληθέν. γέμει δὲ ὁ ἑκατέρου λόγος πλασμάτων μὲν μυθικῶν, ἀρρητοποιίας δὲ αἰσχρᾶς. πλὴν ὁ μὲν Λουκιανὸς σκώπτων καὶ διασύρων τὴν Ἑλληνικὴν δεισιδαιμονίαν, ὥσπερ κἀν τοῖς ἄλλοις, καὶ τοῦτον συνέταττεν, ὁ δὲ Λούκιος σπουδάζων τε καὶ πιστὰς νομίζων τὰς ἐξ ἀνθρώπων εἰς ἀλλήλους μεταμορφώσεις τάς τε ἐξ ἀλόγων εἰς ἀνθρώπους καὶ ἀνάπαλιν καὶ τὸν ἄλλον τῶν παλαιῶν μύθων ὕθλον καὶ φλήναφον γραφῇ παρεδίδου ταῦτα καὶ συνύφαινεν.

Incipit Photius ut solet a libri quem affert indice Λουκίου Πατρέως μεταμορφώσεων λόγοι διάφοροι. Omnes fere viri docti διάφοροι indici tribuerunt, de qua re valde dubito. Neque enim ullum locum cognitum habeo totius Photii bibliothecae, ubi hoc adiectivum, quod haud sane raro invenitur in codicum initiis, cum ipso libri titulo probabiliter coniungi possit. Immo omnibus locis ab ipso Photio adiectum esse mihi videtur ad eorum librorum indices, in quibus varii diversique argumenti scripta inerant. Neque enim aliter possum intellegere, quod est in codicis 26 initio ἐπιστολαὶ διάφοροι, itemque 32, 194 vel in codice 100 μελέται διάφοροι similiaque 101, 131, 132, 165, 228 alibi vel in codice 102 διάφορα ἐπιχειρήματα vel in cod. 128 ἑταιρικοὶ λόγοι διάφοροι vel in cod. 161 Σωπάτρου ἐκλογαὶ διάφοροι ἐν βιβλίοις ιβ'.[1]) Quare hoc quoque loco ego propensior sum ad eam sententiam, ut libello illi simpliciter inscriptum fuisse putem μεταμορφώσεων λόγοι adiecto numero.[2])

---

[1]) Pro vero indice habuit Westermannus (Pauly. Realenc. Sopatros) ideoque Suidam, cum alium huius libelli titulum traderet, errasse conclusit. Quod ego probare non possum.

[2]) Sic Apuleius quoque librum suum inscripsit ‚Metamorphoseon libri XI'. Similiter omnes fere Graeci fabularum Romanensium scriptores.

Verum tota haec quaestio ad nostrum propositum levissimi sane est argumenti. Sive enim ab auctore ipso titulo adiectum esse putas illud adiectivum, sive a Photio appositum, hoc certissime inde sequitur illum Lucii librum variarum mutationum narrationes continuisse.

De singulis huius collectionis fabellis hoc unum Photius memoriae tradidit, duos eius priores libros eandem fabulam exhibere, quae in Asino Lucianeo narraretur et cum illo ad verbum fere concinere; illud tantum discriminis interesse inter hos duos libros, quod Lucianus ex Lucii latiore narratione quaedam, quae ad summam historiae non magni momenti essent, omisisset. Patet hoc certe Photii iudicium nulla ex parte posse labefactari; neque enim credibile est patriarcham hoc loco de industria falsa protulisse, neque potest cogitari talibus de rebus, ut de diverso utriusque libelli ambitu atque compositione, quas unusquisque, qui eos perlegebat, animadvertere et potuit et debuit, falso eum iudicasse. Quare fidenter sine dubio in disputatione nostra, quam instituimus de Lucii Patrensis opusculo vel rectius de duobus eius libris prioribus, — nam de reliquis explorari nihil potest — ab hoc loco proficisci poterimus eoque niti. Contra reliqua, quae exposuit Photius de horum librorum ordine et consilio diverso, quae non ex ipsis libris simpliciter depromere potuerit, sed cogitatione et iudicio tantum assequi, facile potest demonstrari omnia inepta esse et futtilia et prorsus abicienda.

Ac primum quidem de ordine horum librorum se ipsum in dubio fuisse testatur, cum dicit ἔοικε δὲ μᾶλλον ὁ Λουκιανὸς μεταγράφοντι ὅσον εἰκάζειν. τίς γαρ χρόνῳ πρεσβύτερος, οὔπω ἔχομεν γνῶναι. At tamen facillime hanc quaestionem ex sua sententia Photium solvere potuisse, dummodo parvula meditatione usus esset, recte primus exposuit Courierus postque eum Goldbacherus. Cum enim Lucium Patrensem verum illius scriptoris nomen fuisse putaret, idemque nomen in Luciani opusculo rerum actori inditum esse videret, inde effici necesse erat Lucium prius, Lucianum posterius libellum suum scripsisse. Neglexit tamen hanc ratioci-

---

Conferas Λόγγου τῶν κατὰ Δάφνιν καὶ Χλόην λόγοι δ' vel Ἡλιοδώρου Αἰθιοπικῶν βιβλία ἰ vel Λουκιανοῦ ἀληθοῦς ἱστορίας λόγος $\bar{\alpha}$ $\bar{\beta}$ alia.

nationem patriarcha ille doctissimus et prorsus aliam instituit. Sic enim pergit καὶ γὰρ ὡς ἀπὸ πλάτους τῶν Λουκίου λόγων ὁ Λουκιανὸς ἀπολεπτύνας καὶ περιελών, ὅσα μὴ ἐδόκει αὐτῷ πρὸς τὸν οἰκεῖον χρήσιμα σκοπόν, αὐταῖς τε λέξεσι καὶ συντάξεσιν εἰς ἕνα τὰ λοιπὰ συναρμόσας λόγον, Λοῦκις ἢ Ὄνος ἐπέγραψεν τὸ ἐκεῖθεν ὑποσυληθέν. Manifestum est, sicut illud τίς γὰρ χρόνῳ πρεσβύτερος οὔπω ἔχομεν γνῶναι causam afferat verbi praecedentis εἰκάζειν, sic hoc confirmare debere argumento adiuncto totam sententiam praecedentem, quae est de Lucii Lucianique ordine, ἔοικε δὲ μᾶλλον ὁ Λουκιανὸς μεταγράφοντι, ὅσον εἰκάζειν, ideoque Photium inde, quod Lucianum animadverterat nonnulla ex Lucii latiore fabula sustulisse, quae ad rem ipsam necessaria esse non viderentur, Lucium a Luciano exscriptum esse collegisse. Audax sane conclusio neque multum probabilitatis prae se ferens; nisi forte cum Rohdeo putamus (l. c. p. 9)[1]) non ea nobis respicienda esse Photii argumenta debilissima, quae ipse attulerit, sed certissima illa, quae sine dubio praesto ei fuerint, sed cum damno nostro ab eo sint silentio praetermissa. Quae cum ita sint, quoniam Photii iudicium nisi in eis, quae unicuique, qui hos libellos legeret, primo obtutu occurrerent, non multum auctoritatis sibi arrogare posse recte cognitum est, iam ad extremam eius sententiam accedamus, qua agit de diverso horum duorum librorum consilio. Sunt autem verba haec πλὴν ὁ μὲν Λουκιανὸς σκώπτων καὶ διασύρων τὴν Ἑλληνικὴν δεισιδαιμονίαν, ὥσπερ κἀν τοῖς ἄλλοις, καὶ τοῦτον συνέταττεν, ὁ δὲ Λούκιος σπουδάζων τε καὶ πιστὰς νομίζων τὰς ἐξ ἀνθρώπων εἰς ἀλλήλους μεταμορφώσεις τάς τε ἐξ ἀλόγων εἰς ἀνθρώπους καὶ ἀνάπαλιν καὶ τὸν ἄλλον τῶν παλαιῶν μύθων ὕθλον καὶ φλήναφον γραφῇ παρεδίδου ταῦτα καὶ συνύφαινεν. Agit igitur Photius primum de Asino Lucianeo eumque sicut ceteros eius viri libros eo consilio compositum esse affirmat, ut nimiam Graecorum superstitionem irrideret. Quo iudicio patriarcham foedissime lapsum

---

1) *„Wenn wir somit keinen Grund erkennen, die positiven Angaben des Photius in irgend einem Punkte zu bezweifeln, so werden wir auch geneigt sein müssen, für die Annahme, dass Lucius der ältere der beiden Schriftsteller sei, irgend welche vernünftigen Gründe vorauszusetzen, die erraten zu wollen vergebene Mühe wäre.“*

esse, inde liquido apparet, quod a verae irrisionis Lucianeae exemplis, Philopseuden dico et Veram historiam, hic Asinus prorsus distat. Illi enim libri ita compositi sunt, ut Lucianus sive historicorum miras fabulas sive virorum doctorum miraculorum studium credulitatemque exagitat, in uno illo versetur argumento et fabularum exaggerata sed eiusdem generis imitatione elegantissime et acerbissime ad ridiculum deducat et absurdum. In Asino autem ‚Lucianeo' etsi insunt nonnulla quae pertineant ad res magicas, eaque prolata eadem iocosa hilaritate, quae per totum libellum regnat, deridendae tamen magiae et explodendae studii, quod maxime perspicuum est in unaquaque Philopseudis narrationum, hic ne minimum quidem invenies vestigium. Immo magarum foeditas eadem de causa perstringitur, qua mulierum turpes libidines, ancillarum procaces sermones, militum mores superbi et arrogantes, servorum calamitates, latronum crudelitates pinguntur scilicet, ut temporum illorum vitae morumque imago quam vividissima proponeretur. Neque enim aliud est haec narratio nisi mera fabula Milesia, neque aliud eius consilium nisi hominum qui tunc erant mores accurate et infucate depingere. Rectissime et optime de hac re disseruit Courierus (in praefatione ed. suae p. 21.) *„C'est là qu'on connaît en effet, comment vivaient les hommes, il y a quinze siècles, et ce que le temps a pu changer à leur condition. Là se voit une vive image du monde tel qu'il était alors; l'audace des brigands, la fourberie des prêtres, l'insolence des soldats sous un gouvernement violent et despotique, la cruauté des maîtres, la misère des esclaves toujours menacés du supplice pour les moindres fautes; tout est vrai dans des fictions si frivoles en apparence, et ces récits de faits, non seulement faux, mais impossibles nous représentent les temps et les hommes mieux, que nulle chronique à mon sens."* Quare non cum Luciani scriptis satiricis haec fabula comparari potest, sed cum uno, qui hodie exstat ex hoc genere libello, Petronii satiris. A quorum praestantia etiamsi longe recedat, similitudines tamen nec paucae intercedunt nec obscurae. Omitto, quod proximum est, utrumque libellum multum esse in magarum artibus mulierumque turpibus flagitiis describendis; unum maxime premo, prorsus eundem observari narrationis colorem habitumque, cum persona primaria

miros suos casus eosque saepe neque gloriosos neque honestos, cum lepidissima quadam narret ipsius ironia et aptissima ad delectandos legentium animos. Quae cum ita sint, aut omnes fabulas, in quibus aliquo loco de rebus magicis agatur, in iisque Petronii satiras, ad superstitionem deridendam compositas esse putandum est, aut concedendum Photium hic quoque mirum in modum errasse. Neque difficilis inventu est causa erroris; ipse enim eam aperte significavit, cum adiceret verba ὥσπερ κἀν τοῖς ἄλλοις. Conclusisse igitur videtur patriarcha, cum ceteros fere omnes Luciani libros in Graecorum superstitione exagitanda similibusque eorum temporum pravitatibus occupatos esse vidisset, in hoc quoque libello Luciano adscripto eandem satiram Lucianeam inesse necesse esse. Quae concludendi ratio optime respondet eis, quae eum de duorum horum librorum ordine collegisse supra exposui.

Asino Lucianeo superstitionem deridenti opponit Photius Metamorphoses Lucii Patrensis, quem dicit omnes illas res miras et prodigiosas serio narrasse ipsumque credidisse. Sed ne de huius quidem consilio rectius videtur iudicasse quam de Asini scriptore. Acerrime enim repugnant ea, quae ipse paullo ante exposuit duos illos libros tam similes esse, ut Lucianus Lucium excerpsisse videretur, atque hoc tantum discriminis inter eos interesse quod cum Lucianus in ipso fabulae argumento anxie se contineret, Lucius contra alias quoque fabulas quasdam cum historia principali laxiore tantum vinculo cohaerentes inserere non fastidiret. Efficitur inde, aut ‚Lucianum‘ ponendum esse Lucii opusculum contraxisse, aut Lucium ‚Luciani‘ amplificasse. Illud si ponis, clarissimum est, nullo modo posse cogitari, ab eo narrationis habitu, quem epitome ubique prae se fert, hilari et ironico integri operis scriptorem recessisse. Sin autem alteram praeferas rationem, illud potest sane concedi Metamorphoseon compilatorem inter eas narrationes, quas primariae de Lucio fabulae admisceret, fortasse quasdam assumpsisse, in quibus eiusdem generis res graviter et severe tractatae erant[1]), indeque Photium ad sententiam suam perductum esse. At tamen nihilominus eam falsam esse et perversam tunc quoque manifestissimum est, cum nullo modo

[1]) Idem factum vides in Apulei Metamorphosibus.

credibile sit, eum, qui Asinum ‚Lucianeum‘ amplificandum sibi proposuerit, rerum mirabilium nimis studiosum fuisse vel ipsum eas credidisse. Quae cum ita sint, non mirum, quod omnes fere viri docti totam hanc extremam Photii sententiam ut perversam aut tacite neglexerunt aut apertis verbis reiecerunt. Unus eam retinuit Rohdeus eaque ipsa velut Ariadnae filo usus facile omnibus ex difficultatibus se expedire posse sibi visus est. Qui ut eam cum priore illo de librorum similitudine loco conciliaret, hanc tertiam de ratione inter Lucium et ‚Lucianum‘ intercedente finxit sententiam, ut Luciani librum Lucii parodiam fuisse censeret. Facile enim fieri potuisse, ut Lucii historiam gravem illam et severam paucis verbis mutatis Lucianus iocosam redderet et ironicam.[1]) At mea quidem sententia Asinus ‚Lucianeus‘ tam sibi constans est in ironia illa lepida, quam dixi, in uno quoque fere versu conspicua, ut nullo modo cogitari possit eum tali ratione compositum esse, ut alieno operi severo gravique alius scriptor sales quosdam insereret verbaque nonnulla ad ridiculum detorqueret. Hac enim ratione si usus esset, non potuit hercle libellus evadere tam concinnus tamque resplendens usque quaque festivis leporibus, immo similis factus esset Horatiano illo monstrosi libri exemplo.

Quare cum in pleno illorum duorum librorum consensu, si Asinum Metamorphoseon parodiam esse statuere velis, illum ex severiore opere minutissimis quibusdam mutationibus effectam esse cum Rohdeo ponere debeas, talem autem originem ipsa Asini natura et indoles reiciat atque reformidet, aperte actum est de tota illa parodia et haec quoque ratio Photii sententiae extremae cum priore eius de Lucii Lucianique fabulorum similitudine iudicio conciliandae prorsus est discussa. Atque cum priore loco patriarcham vel mentitum esse vel errasse credibile non sit (cf. p. 5) necessario sequitur, posteriore falsissime eum iudicasse neque quidquam certi ex eo posse effici.

---

[1]) Rohde p. 11: *Sodann aber konnte er, indem er im wesentlichen den Gang der Erzählung beibehielt, sehr wohl wie ein geschickter Zeichner mit kleinen scharfen Strichen die Physiognomie des Ganzen aus einer ernsthaft feierlichen in eine schelmisch lächelnde verwandeln.*

Photii sententia accurate examinata restat, ut de causa falsi illius iudicii pauca adiciam. Quod iam supra annotavi, patriarcham fortasse motum esse Lucii aliquo additamento, ex quo illa se concludere posse putaret, id comprobari mihi videtur ipsis illis verbis, quibus Photius usus est σπουδάζων τε καὶ πιστὰς νομίζων. Unde enim scivit Photius Lucium ea, quae narraret, ipsum credidisse? Unde omnino sciri potest, si quis talia mirabilia narret, ipse utrum credat necne? An Grimmii aliique, qui talia colligunt vel inveniunt, aut credere ipsi sunt putandi si serio narrant, aut si iocose, invehi velle in nimiam aequalium superstitionem? Ego certe nullam aliam viam video, qua Photius hoc resciscere potuerit, nisi ipse Lucius vel in prooemio libelli vel alio loco suam ipsius miraculorum fidem professus sit. Sicut is, quem eiusdem credulitatis exemplum attulit Rohdeus (Rh. Mus. 40 (1885) (p. 92), Praetorius, qui post narrationem aliquam Lucianeae valde similem haec verba adicit: „*Ist nicht so gar ungläublich, denn der Satan ist mächtig, bevorab in den Kindern des Unglaubens.*" Quibus similia si etiam apud Lucium Photius aliquo loco invenerit, verba illa σπουδάζων τε καὶ πιστὰς νομίζων et optime explicata essent neque iam pugnarent cum prioribus illis quae de similitudine cum Asino intercedente prolata sunt. Facile enim potest cogitari, etiamsi Lucii libellus eundem colorem narrationis atque Asinus prae se tulerit, tamen loco aliquo, qui in Asino breviore nobis non servatur, magicarum rerum mentione iniecta, personam primariam contra dubitantium sententias rerum mirabilium fidem tutatum esse. Unde Photius praesertim si vel in initio vel in fine narrationis tale quid invenerat, facile ad eam de Lucii libro sententiam pervenire potuit, quam scriptam videmus σπουδάζων καὶ πιστὰς νομίζων τὰς ἐξ ἀνθρώπων εἰς ἀλλήλους μεταμορφώσεις κτλ. Quae explicatio cum et accurata interpretatione postuletur et falsi Photiani iudicii causam optime explanet, ego eam pro vero habere non dubito, praesertim cum etiam aliis argumentis firmari possit, de quibus infra dicendum erit.

Vidimus ex Photii sententia nihil aliud posse colligi, nisi temporibus eius servatum fuisse libellum variarum mutationum fabellas continentem, cui inscriptum esset Λουκίου Πατρέως μετα-

μορφώσεων λόγοι.[1]) Duobus prioribus eius libris eandem rem narratam esse atque in Asino ‚Lucianeo' ita tamen, ut historia paullo latior et fusior esset, et nonnulla adiecta, quae cum Lucii casibus non tam arte cohaererent. Patet hinc de horum duorum librorum Apuleique Metamorphoseon ordine nihil certi nos posse elicere ideoque iam ad eam viam relegari, quam supra significavi, ut Asino ‚Lucianeo' Metamorphosibusque Apuleianis diligenter comparatis saltem de ratione inter hos duos libros conspicua firmum iudicium ferre possimus. Nam de hac quoque re diversissime iudicatum est, cum alii Apuleium narrationem suam ex ‚Luciano' hausisse putaverint, alii Lucianum ex Apuleio, alii utrumque libellum ex communi fonte.

Caput II.

Lucii in asinum transformatio tribus diversis opusculis in antiquitate tractata est, quorum duo nobis servata sunt, Asinus ‚Lucianeus' Apuleique Metamorphoseon libri XI. Qui cum in ipsis Lucii casibus enarrandis mirum in modum ad verbum fere consentiant, diversissimi tamen sunt et compositione et ambitu narrationis. Nam cum in Asino ‚Lucianeo' narratio sit stricta uniusque tenoris et abhorreat a digressionibus fabularum Romanensium scriptoribus gratissimis, in Apulei libris XI ad Lucii casus ingens fabularum diversissimarum adiecta est congeries, hilarium, tristium, iocosarum, severarum, superstitiosarum, superstitionem irridentium, quae pleraeque neque inter se neque cum fabula primaria aliqua ratione cohaerent atque diversissimis sine dubio ex locis a scriptore corrasae locis magis minusve idoneis in illius fabulae con-

---

[1]) Libenter Rohdeo concedo, non credibile esse libellum illum Photii aetate anonymum fuisse, Photiumque eum, qui primariam fabulam de se ipso narraret, totius libri auctorem fuisse, satis temere conclusisse, quod non concinere cum Photii consuetudine recte Rohdeus exposuit (p. 7) At inde minime effici re vera a Lucio quodam Patrensi hunc librum conscriptum esse, vix est, quod moneam.

textum infertae sunt. Quos inter duos libros medium aliquem locum tenuisse videntur Lucii Patrensis Metamorphoseon duo libri priores cum in illis quoque nonnulla fuerint cum ipsius Lucii fortuna minus arte conexa.

Iam in Asino Metamorphosibusque comparandis proficiscendum est ab illius capite 26, ubi Charite asinusque a latronibus crudelissimae morti destinati narrantur postero die militibus supervenientibus servati esse. Multo fusiora de hac re exhibet Apuleius VII 1—12. Dicit enim rediisse speculatorem, quem latrones Hypatis reliquerant (III 28) et alium quoque iuvenem adduxisse. Qui et orationis prudentia et pecuniae donatione omnium latronum animos statim adeo sibi conciliat, ut unanimi ducatum ei deferant. Fiunt tunc epulae saliares latronum adventicio illo cuncta praeministrante et brevi tempore ad extremam ebrietatem omnes adigente. Quo facto illos omnes vinculis artissimis constringit, puellam autem sponsam suam Asini dorso impositam in patriam reducit. Qua thalamo rursus recepta ipse cum ingenti civium multitudine in latronum speluncam reversus latrones omnes trucidat.

Viri docti de hoc gravissimo duorum librorum discrimine contrarie fere iudicaverunt. Goldbacherus enim Apulei uberiorem fabulam, quippe quae multo aptior esset ad fabularum Romanensium rationem quam ‚Luciani' narratio brevissima et cum Milonis direptione et secundae latronum manus introductione arte cohaereret, a ‚Luciano' excerptore resectam esse concludit, Knautius contra eam ab Apuleio interpositam esse affirmat, cui Luciani narratio causas mutatae asini fortunae semper brevissime referentis nimis brevis visa sit. Verum tota quaestio facile profligari potest loco aliquo capitis 26. Ubi cum narratum sit latrones a militibus oppressos esse hoc adiectum est ἔτυχε δὲ καὶ ὁ τὴν κόρην μεμνηστευμένος σὺν αὐτοῖς ἐλθών· αὐτὸς γὰρ ἦν ὁ καὶ τὸ καταγώγιον τῶν ληστῶν μηνύσας. At quomodo ille latronum latebras iudicare potuit, nisi antea viderat, quomodo videre, nisi speciem latronis induens illis se immiscuerat? Qua de re in Asino nihil scriptum est, multa in Metamorphosibus. Patet hinc clarissime fabulam illam, quomodo Tlepolemus Charitae sponsus ipse latronibus sese aggregaverit illisque in ebrietatem altissimam demersis sponsam suam in patriam reduxerit omnibusque civibus latronum receptaculum indicaverit,

apud ‚Lucianum‘ quoque cum maxima desiderari molestia. Unde fit veri simillimum a ‚Luciano‘ exhiberi hanc fabulam non integram sed ex ampliore eius forma Apuleianaeque simili foedissime contractam.

Verum non minus facile illud quoque perspicias ne ab Apuleio quidem eam integram repraesentari. Goldbacherus suspicatus est capita Apulei VII 6, 7 quod non Graecum sed Romanum colorem prae se ferrent, ab Apuleio demum inserta esse. Sed firmissime potest demonstrari omnino totam Tlepolemi orationem, qua se Haemum latronem clarissimum esse commentitur (VII 5—8), cum praecedentibus tam adversa fronte pugnare, ut eam a primo huius fabulae auctore hic interpositam esse nullo modo credibile sit. Nempe manifestum est ea, quae antea in capite IV speculator de advena a se accito proferat „se quoque iam dudum quendam convenisse hominem . . . . . eique suasisse ac denique persuasisse, ut manus hebetatas diutina pigritia tandem referret ad frugem meliorem bonoque secundae, dum posset, frueretur valetudinis nec manum validam erogandae stipi porrigeret sed hauriendo potius exerceret auro“, sicut aptissime dicta sunt de homine tunc primum latronibus se associare conato, ita cum illis, quibus postea (in cap. 5—8) ille ipse gloriatur rebus fortissime et audacissime gestis nullo modo posse conciliari. Atque una cum hac oratione illud quoque, quod ea efficitur, quod advenae illi latrones statim ducatum deferunt, ab ipso huius fabulae auctore necessario abiudicandum est. Neque enim necessarium erat Tlepolemo ad consilium suum exsequendum latronum ducem fieri, sed satis ei erat inter latrones omnino ascisci. Neque credibile est hoc uno loco ab auctore ducem aliquem latronum inductum esse, cum praeterea nusquam dux commemoratus esset. Luculentissime hinc probatur neque ‚Lucianum‘ neque Apuleium hoc loco primariam narrationis formam servasse, sed ut ille eam quam maxime abbreviaverit, sic hunc satis incommode amplificasse.

Excerptionis iudicium manifestum etiam paullo ante enitescere mihi videtur in Asini capite 24, ubi haec leguntur ἐπεὶ δὲ ἤκομεν, ἔνθα ἐσχίζετο τριπλῆ ὁδός, οἱ πολέμιοι ἡμᾶς καταλαμβάνουσι ἀναστρέφοντες. Cur enim adiectum est illud ἔνθα ἐσχίζετο τριπλῆ ὁδός? Num ut intellegatur, cur latrones pedibus euntes puellam asino fugientem tam

celeriter assecuti sint? Sed multo facilius erat fugere tribus patentibus viis quam una. Prorsus superflua igitur est haec enuntiati pars neque explicari potest nisi comparato Apulei capite VI 29, ubi virgo asinusque, cum ad trivium ventum esset, de via certare incipiunt, donec a latronibus rursus comprehenduntur. Quod omisit Asini excerptor, illud tamen ἔνθα ἐσχίζετο τριπλῆ ὁδός negligenter retinuit.

Maioris etiam negligentiae eum arguit capitis 27 locus, ubi de condicione asini apud puellae parentes benigne excepti haec afferuntur καί μοι τοῖς κεκτημένοις ἄριστον παρέκειτο μεδιμνὸς κριθῶν καὶ χόρτος, ὅσος καὶ καμήλῳ ἱκανός. Molestia inest haud levis in duplici dativo μοι τοῖς κεκτημένοις. Unde viri docti varia coniecerunt, sicut τῆς κεκτημένης vel παρὰ τῆς κεκτημένης vel παρὰ τῶν κεκτημένων. Alii ut Guyetus et Courierus aliquid excidisse statuerunt et diversis rationibus lacunam expleverunt (Guyetus τῆς κεκτημένης προσταξάσης, Courierus τῆς κεκτημένης τὴν ὑπόσχεσιν οὕτως ἐπιτελεσάσης); sed ne hi quidem aliquid certius quodque speciem quandam veritatis haberet, proferre potuerunt. Cohaeret autem cum hac difficultate alia molestia gravissima in sequentibus occurrens. Dicit ibi enim asinus tunc, cum vastum illud prandium sibi appositum esset, valde se doluisse, quod in asinum ac non potius in canem mutatus esset. Canes enim in culinas intrasse et multa ibi ligurrisse, ut fieri soleret in nuptiis sponsorum divitum. Post illas nuptias autem se a puellae patre pastori alicui traditum esse rus abducendum. Apparet igitur hinc paucis diebus postquam Charite reducta erat, nuptias eius cum Tlepolemo actas esse et ad illum solum diem referri posse etiam cenam illam lautissimam asino appositam. Verum tamen valde mirum est, quod auctor nuptias non in initio capitis, ubi commemorari debuerunt, aperte significavit, sed in fine demum quasi per fraudem earum mentionem infersit. Multo aptius sane Apuleius hanc rem narravit, qui haec exhibet VII 14 „exin me suum sospitatorem nuncupatum matrona prolixe curitabat ipsoque nuptiarum die praesepium meum hordeo passim repleri iubet faenumque camelo Bactrianae sufficiens apponi“. Vides igitur apud illum cum ipsa illius cenae lautissimae descriptione nuptiarum mentionem coniunctam esse. At contra in

Graeco textu, qui in reliquis accurate respondet huic sententiae Apuleianae, eo loco, quo nuptiarum illa mentio inicienda erat, sola exhibita sunt molestissima illa verba τοῖς κεκτημένοις a nullo usque adhuc probabiliter explicata. Quae cum ita sint, dilucide apparere mihi videtur, in Asini quoque exemplari in initio illius sententiae illarum nuptiarum mentionem factam esse sed ab excerptore omissam praeter verba illa nunc absolute posita τοῖς κεκτημένοις. Ad Apulei exemplum sententiam simplicissime sic suppleas, ut scribas καί μοι τοῦ γάμου ἀγομένου τοῖς κεκτημένοις etc. Verum si quis ampliora resecta esse contendat, ego non obloquar.

Tota hac fabulae parte pertractata iam ad aliam accedam, quae est de rabie asini simulata (Ap. IX 1—4 Luc. 40). Narrant ambo scriptores asinum, ut lanienam a coco imminentem vitaret, in ipsum triclinium, ubi dominus cum sacerdotibus cenabatur, sese immisisse et totum cenae apparatum incursionibus suis disturbasse. In sequentibus discrepant narrationes. Apud ‚Lucianum' enim exponit asinus se eam ob causam ita se gessisse, quod speraret dominum se ut lascivum certo aliquo loco claudi et custodiri iussurum esse. Sed miserrime hac spe se esse deceptum. Rabidum enim se esse convivas ratos cuiusmodi telis arreptis in se incurrisse seque necaturos fuisse, nisi in cubiculum, in quo domini devertebantur, protinus irrupisset. In quo ab illis foribus obseratis inclusum esse. Apud Apuleium contra re vera asinus a domino famulo alicui traditur certo loco includendus et custodiendus. Paullo post autem nuntius affertur canem rabidum subito irrupisse et canes iumenta homines quoque nonnullos morsibus suis vulnerasse. Unde asinum quoque ferocire convivae rati parant se ad eum persequendum. Quo ex periculo eadem ratione se servat atque apud ‚Lucianum'.

Concludit ex hac diversitate Goldbacherus Asinum hoc loco epitomatum esse atque ex Apuleio complendum, cum in illo causa desideretur, cur convivae asinum rabidum esse putaverint, quae optime ab Apuleio exhibita sit. Verum facillime mea quidem sententia convivae ad hanc suspicionem adduci poterant vel solis illis, quae de eo in Graeco narrata sunt; nam rabiem sane ostendere videtur, si qui asinus subito in triclinium irrumpit, omniaque incursionibus suis collidit. Quare nihil video quod contra Graecam

narrationem possit proferri praeter hoc, quod sententia λυττᾶν δόξαντες με ξίφη πολλὰ ἤδη καὶ λόγχας ἐπ' ἐμὲ ἐσπάσαντο ad priorem ἀλλά με τοῦτο τὸ κομψὸν εἰς ἔσχατον ἤνεγκε κινδύνου sine particula causali, quae exspectatur, γάρ adnexa est. Unde minime conicere licet sententiarum ordinem eo loco interruptum esse atque ex Apuleio restituendum. Immo aut particula illa inserenda est, quod cum multis locis huius libelli aliquid exciderit, facile credi potest, aut asyndeton sicut est servandum et similibus constructionibus defendendum. Neque desunt loci, ubi asyndeta fortasse etiam molestiora in Asino inveniantur, sicut in capite 18 in verbis ἔγνων ὅτι δὴ διασπάσονται με οὗτοι vel in cap. 38 ἔξω ἐκδραμόντες ὅλῃ τῇ κώμῃ τῷ λόγῳ διέδωκαν vel in cap. 49 ἐξελαύνομεν ἔωθεν vel in cap. 51 μάλιστα τὴν ῥῖνά μου μύρων ἐνέπλησεν. Qui loci etiamsi fere omnes diversis a viris doctis temptati sint coniecturis, tamen alius alium satis tueri videntur. Unde hunc quoque locum prorsus intactum relinquendum esse verisimillimum est.

Iam apud Apuleium ita narrationem vides esse mutatam, ut re vera convivae asinum famulo alicui abducendum traderent et postea demum nuntio de canis rabidi irruptione allato eum persequi constituerent. Verum tamen facillime potest cognosci hac mutatione totum contextum maxime corruptum et depravatum esse. Nam consentaneum est sane convivas, cum ex asini incursione in suspicionem venerint eum rabidum esse, tela parare ad eum repellendum. At cum asinus iamdudum ex triclinio abductus sit, propter nuntium illum omnes miro quodam consensu surgere ad illum potissimum asinum persequendum, quem iam certo loco inclusum custodiri conicere debebant, hoc certe multum habet, quo iure offendamus. Multo prudentius profecto fecissent, si in cena sua lauta tranquilli remansissent, quidque famulus de asino renuntiaturus esset, exspectassent. Sed magis fortasse mirandum illud est, quod cum asinum abductum assecuti essent, famulus ille subito evanuit; nam sicut in Graeco asinus per totam domum libere vagatur nulloque impediente incurrit in Gallorum cubiculum. Patet hinc clarissime Asinum hic genuina fideliter retinuisse omniaque illa, quae de asino famulo tradito et abducto Apuleius solus exhibet, quaeque cum eis artissime cohaerent de convivarum suspicionis

origine, ipsum illum inseruisse, et ad sequentia accurate ex fonte transcripta non satis adaptasse.

At prorsus aliter res se habet in fine huius fabulae. Narrat enim Apuleius IX 3, 4 postero die Gallos, cum asinum sobrium et sanum consistere conspexissent, ut certo, si iam mansuefactus esset, experirentur, aquae plenam pelvem ei obtulisse potui, cumque ille sine mora totum caput intulisset, iam de rabie securos rursus eum ad viam produxisse. Haec omnia omisit Lucianus, cumque asinum in Gallorum cubiculo inclusum esse attulisset, statim haec subiecit initio capitis 41 ἐπειδὴ δὲ ἤδη ὄρθρος ἦν, ἀράμενος τὴν θεὸν αὖθις ἀπῄειν. Rectissime de hoc discrimine exposuit Goldbacherus necessario etiam in Asino postulari, ut commemoratum sit, quanam re Galli cognovissent asinum rursus sanum esse atque ad deam portandam idoneum. Neque enim facere possum cum Knautio, qui etiamsi hoc loco, num re vera Asinus Apulei fons esse posset, dubitare coeperit, tamen omnes dubitationes eo concoquit, quod moris esse Luciani constet, satis multis verbis referre, quibus variis casibus asinus vexetur, sed paucis expromere, quomodo malis liberetur. Neque enim talis narrationis ratio scriptoris est sed excerptoris[1]), neque omnino de illa re pauca verba allata sunt, sed plane nulla; ideoque necessario lacuna satis ampla in sententiarum progressu statuenda est, quae ex Metamorphosibus aptissime potest expleri. Patet igitur ex altera parte Asinum, ex altera Metamorphoses propius ad genuinam fabulae formam accedere. Unde illud necessario efficitur neque ‚Lucianum‘ ab Apuleio respectum esse posse neque Apuleium a ‚Luciano‘, sed tertiam aliquam eiusdem argumenti fabulam alterum excerpsisse alterum auxisse. Vix quemquam puto negaturum esse, illum ‚Luciani‘ Apuleique fontem communem fuisse Lucii Patrensis Metamorphoseon libros duos priores, quos inde liquido apparet eandem narrationis rationem prae se tulisse iocosam et ironicam atque Asinum epitomen.

Duobus his locis gravissimis, quidque de ratione inter ‚Lucia-

[1]) Petronii quoque satirae magna ex parte ita epitomatae sunt, ut singulorum Eucolpii casuum exordia tantum allata sint sicut in cap. 12—15, 16 – 19, 27—37.

num‘ Apuleiumque intercedente iudicandum sit, solis fere satis clare ostendentibus, tertium aggregaverim eum, qui subsequitur de asini apud pistorem servitio. De quo servitio apud Lucianum in cap. 42 hoc tantum narratum est asinum, cum se operis molarii expertem esse simulasset, plagis repente acervatim ingestis didicisse ὅτι χρὴ τὸν δοῦλον ἐς τὸ τὰ δέοντα ποιεῖν μὴ περιμένειν τὴν χεῖρα τοῦ δεσπότου. Apud Apuleium contra praeter fabellas duas cum asini casibus omnino non cohaerentes et solam propter argumenti similitudinem ab Apuleio demum adiectas alias quasdam narrationes insertas invenies cum ipsa fabula artius conexas de pistoris uxoris adulterio asini opera detecto deque pistoris morte uxoris illius malis artibus effecta (cap. 14—16, 22, 23, 26—31). Cohaeret cum hac duorum librorum discrepantia, quod etiam huius servitii finis in eis diversa ratione adductus est: apud Apuleium asinus venit propter domini mortem fabula illa, quam significavi, ab Apuleio inserta narratam, apud ‚Lucianam‘ propter nimiam corporis maciem et imbecillitatem.

De hoc quoque loco Goldbacherus docte et acute disseruit itaque ut plerisque possis assentiri. Exponit enim vir ille doctus, non posse intellegi, curnam ad ea sola, quae praebet ‚Lucianus‘, afferenda prorsus novam et propriam narrationis partem scriptor adiecerit, praesertim cum iam supra (in cap. As. 28) asinus in mola versatus sit ideoque haec omnia iam tunc ascribi potuerint. Immo necessario statuendum esse, cum ita narrationem auctor instituerit, ad ea, quae ‚Lucianus‘ praeberet, eum alias quoque fabellas adiungere in animo habuisse. Inveniri autem, quae desiderentur, apud Apuleium in eadem narrationis parte, unde efficiatur, additamenta illa Apuleiana praeter ea, quae cum fabula primaria omnino non cohaereant, in universum ad Lucium Patrensem referenda esse. Haec omnia prorsus recte disputata esse mihi videntur, etiamsi non satis firma sunt ad eos convincendos, qui contraria sentiant. At ea, quae deinceps disseruit Goldbacherus de diverso huius partis exitu, nullo modo possum probare. Dixit enim ad opus molarium difficillimum, quoque hominum et iumentorum vires quam maxime tererentur, non valida et robusta iumenta adhibita esse, sed ea tantum, quae alii usui non idonea essent, ideoque valde mirum videri, quod asinus a pistore ea de causa

venierit, quod nimis macer et debilis factus esset. Quare huic narrationi praestare multum Apuleianam atque sine dubio integram fabulae formam nobis repraesentare. Quae cum posita sit in fabula praecedenti de morte domini ab Apuleio inserta, hanc quoque necessario ad Lucium Patrensem referendam esse. Verum tamen mea quidem sententia labores gravissimi non iumentis mandari solent labore iam fractis et decrepitis sed firmissimis et validissimis, neque aliter pistor ille sese videtur gessisse, cum ad molas suas movendas illum asinum emeret satis valentem et robustum, si credere licet verbis, quae paullo supra leguntur (in cap. 39) ὁρᾷς δὲ ὡς ἔστιν εὔσαρκος καὶ τοῦ ἀγρίου ἐκείνου πάντα ἀμείνων. Quare si postea idem tam imbecillus et macer factus erat, ut labori suo par esse non iam posset, quid mirum, quod dominus eum vendidit fortioremque sibi praestinavit. Patet igitur eam venditionis causam, quam ‚Lucianus' praebet, optime stare posse neque ulla ex parte a Goldbachero labefactatam esse.

Videamus nunc, quid iudicandum sit de Apuleiana narratione. Non magni momenti est, quod contra eam disseruit Knautius, cum primum de hac re Lucianum scripsisse inde recte colligere posse sibi visus est, quod huius fabulae scriptor in tot variis casibus ita versaretur, ut non bis eandem causam asini fortunae commutatae proferret. Quapropter cum iam antea dominis mortuis asinus in aliam vitae condicionem devenisset, optime auctorem novam causam excogitavisse. Quod etiamsi in universum recte dici potest, tamen neque per se probabile est, auctorem in hac lege observanda tam anxium sollicitumque fuisse, ut nusquam inde sibi recedere licere putaret, neque ipso libello satis confirmatur, cum et quae apud latrones asino acciderint et quae apud Gallos et quae apud hortulanum, eundem exitum habeant, ut asini domini in vincula coniciantur. At contra illam de morte pistoris fabulam nullo modo ad Lucium Patrensem referri posse, mihi quidem inde certissime apparere videtur, quod hic color habitusque narrationis obversatur a reliquis fabulae partibus maxime distans. Nam in hac non sicut in reliqua fabula res mirae et prodigiosae ironica illa festivitate describuntur, sed cum gravitate et religione ita narrantur, ut non delectationem praebeant eis, qui legant, sed timorem et horrorem incutiant. Quam narrandi rationem postea

quoque saepius inveniemus in eis fabulis quae ab ipso Apuleio insertae sunt (conf. VIII, 1—14, 19—21, IX, 32—38). Neque illud praetermittendum est, cum priore de Charitae morte fabula ab Apuleio adiecta non solum colore sed ipso argumento eam congruere, cum in utraque scelus quoddam gravissimum ab umbra hominis trucidati per somnum propinquis apparenti aperiatur. Quare satis fidenter affirmaverim hanc certe de pistoris morte fabulam ab Apuleio demum additam esse et propterea etiam venditionis causam mutatam.

At longe aliter iudicandum esse puto de praecedenti historia de pistoris uxoris adulterio. Dicit enim ‚Lucianus' initio capitis 43 λεπτὸς οὖν πάνυ γίγνομαι καὶ ἀσθενὴς τῷ σώματι κτλ. Posita particula οὖν talis sententiarum conexus significatus esse videtur, ut hoc enuntiato aliquid afferatur, quod rebus ante narratis effectum sit. Exspectes igitur, in praecedentibus accurate expositum esse, quibus rebus asinus macer debilisque factus esset. Sed tamen toto capite 42 de hac re plane nihil affertur, sed hoc tantum describitur, quod primo et secundo die, quo apud pistorem commoratus esset, asino acciderit. Necessario igitur colligendum est textum Graecum hoc loco mutilatum esse et post caput 42 quaedam resecta, quibus narraretur, quae postea apud pistorem passus quibusque rebus macer factus esset. Iam apud Apuleium illam capitis 42 descriptionem excipit narratio quaedam, quomodo pistoris uxoris adulterium asini opera detectum sit. Non poterimus negare in ea multum iocosi et lepidi inesse et in primis asinum prorsus easdem partes agere atque supra, cum Gallorum flagitia eius clamore patefacta sint. Qua re facile ad eam sententiam adducemur, ut hanc fabellam ad Lucium Patrensem pertinere putemus. Neque in eo offendendum, quod ne ea quidem inserta lacuna illa, quam supra significavi, accurate expleta est, quaque re asini vires adeo fractae et imminutae sint, aperte declaratum. Neque enim obliviscendum est extremam eius partem, qua cum sequentibus cohaereret, Apuleium recidere coactum esse propter proximam fabulam de morte pistoris adiectam. Sed aliquid certe adminiculi ad quaestionem illam solvendam verba illa mihi praebere videntur, quae sunt in initio cap. 15. „Talis illa mulier miro me persequebatur odio. nam et antelucio recubans adhuc subiungi

machinae novicium clamabat asinum et statim ut cubiculo primum processerat, insistens iubebat in coram sui plagas mihi quam plurimas irrogari et cum tempestivo prandio laxarentur iumenta cetera, longe tardius applicari praesepio iubebat.“ Videmus igitur sicut antea agasonem illum crudelem, sic tunc pistoris mulierem miro quodam odio asinum persecutam esse atque omni ratione eum vexasse. Atque sicut agaso, cum asinus aliquando in eum calces efferre ausus esset, ferocius etiam et crudelius in eum saevire coeperit, sic etiam illam mulierem consentaneum est, cum asini opera flagitia sua patefacta essent, multo saevius in eum grassatam esse, unde facile fieri potuit, ut λεπτὸς πάνυ καὶ ἀσθενὴς τῷ σώματι evaderet. Neque quidquam facit contra hanc coniecturam, quod Apuleius dicit pistorem adulterio patefacto mulierem protinus de domo sua proturbasse. Nam cum postea narratum sit ob ipsam hanc contumeliam mulierem ad magarum artes confugisse, apertum est illam sententiam de muliere domo pulsa artissime cohaerere cum fabula quae sequitur de marito eius magicis artibus interempto et una ab Apuleio demum adiectam esse. Contra Lucium Patrensem optime potest cogitari ita narrationem suam instituisse, ut pistor mulierem alia ratione nescio qua punitam in domo sua remanere passus sit et tunc illius cruciatibus asini vires fractae sint. Quare cum haec fabula et cum ipso asino arte cohaereat et argumento cum totius libri habitu optime congruat, eademque, dummodo suppleas ea, quae in fine Apuleius resecuit, quibus cum insequentibus coniuncta erat, ad lacunam, quae in Graeco necessario statuenda est, explendam aptissima sit, non dubito quin ad Lucii Patrensis filum restituendum post caput ‚Luciani‘ 42 illa interponenda sit et post eam reiecta Apulei de pistoris morte fabula tale adiciendum, quale significavi, de fractis asini viribus mulieris illius iniuriis.

Subsequitur quartus locus gravissimus, quo describuntur quae asino apud hortulanum quendam obvenerint (‚Luc.‘ 43—45. Ap. IX, 32—42.). Ac primum quidem hoc facillimum est ad cognoscendum narrationem illam ab Apuleio solo exhibitam de dira rustici cuiusdam fortuna ab ipso illo insertam esse. Neque enim solum argumenti atrocitate a reliquae fabulae consuetudine prorsus abhorret, sed etiam tam neglegenter ad ceteram narrationem adnexa

est, ut nonnulla cum proximis adversis frontibus pugnent. Praemisit enim eam Apuleius eis, quae in fonte suo de hortulani militisque cuiusdam concursu allata erant, atque ita cum eis coniunxit, ut narraret, hortulanum aliquando, ut rusticum illum visitaret, cum asino egressum, cum ille propter saevam fortunam ipse mortem sibi conscivisset retro ad hortum suum viam capessivisse in eaque cum milite congressum esse. Qua in re hoc prorsus neglexit, quod et in Graeco aperte dictum erat et ab ipso in versionem suam inde transscriptum militis hortulanique pugnam factam esse, cum aliquando hortulanus ab horto suo in urbem proficisceretur.[1]) Dicit hoc ipse hortulanus in capite 39 ,,petere se civitatem proximam'' atque re vera milite oppresso „concito gradu recta festinat ad civitatem“ (cap. 40). Quae cum praecedentibus, quibus hortulanum ab rustici casula retro ad ipsius hortum viam capessivisse expositum est in initio cap. 39, ita tantum possent conciliari, ut poneremus hortum in urbe ipsa situm fuisse. Quae explicatio inde sane commendari videtur, quod post verba illa „recta festinat ad civitatem“ haec subsequuntur „nec hortulum suum saltem cu-

---

[1]) Incipit apud Lucianum haec narratio ab his verbis καί ποτε ἐξιόντων ἡμῶν ἐς τὸν κῆπον ἐντυγχάνει ἀνὴρ γενναῖος κτλ. Iam a Solano intellectum est, hunc locum sanum esse non posse, cum verba ἐς τὸν κῆπον repugnarent sequentibus, quibus hortulanum milite male mulcato urbem petivisse narratur (in exitu cap. 44.). Inde Courierus pro verbis illis restituendum esse coniecit ἐς τὴν πόλιν, prorsus improbabiliter, cum a verbis traditis ea nimis distent. Maiorem veritatis speciem primo aspectu Hercheri sententia prae se ferre videtur, qui ea ut glossam ex textu eicienda censuit. Patet tali ratione offensionem prorsus tolli atque ad verba ἐξιόντων ἡμῶν sic simpliciter posita lectorem aliquem, quonam egressuri essent, ascripsisse facile posse cogitari. Verum tamen nullo modo intellegitur, quomodo quis ad contextum explicandum haec verba annotare potuerit ἐς τὸν κῆπον, cum et ex toto contextu necessario concludere et ex eis, quae statim subsequuntur, certissime cognoscere debuerit hortulanum tunc non ex casula sua in hortum ivisse sed in urbem profectum esse. Qua de causa Hercheri quoque sententiam reiciendam esse putaverim atque hanc potius huic loco medelam afferendam, ut pro verbis ἐς τὸν κῆπον restituamns quod proxime abest ἐκ τοῦ κήπου.

rans invisere ad quempiam sibi devertit familiarem.“ Sed facillime tamen refellitur verbis quibusdam capitis 32, ubi haec leguntur „Matutino me multis holeribus onustum proximam civitatem deducere consuerat dominus.“ Unde spatium non parvum interiectum fuisse inter hortum urbemque clarissime perspicitur. Neque omnino quidquam ex illo loco priore de horti situ concludi potest, cum comparatis Graecis verbis, ex quibus expressus est (initio cap. 45 ὡς δὲ ἤλθομεν (scilicet ἐς τὴν πόλιν) τὸν μὲν κῆπον αὐτοῦ συνεργῷ τινι ἐπέδωκε γεωργεῖν, αὐτὸς δὲ τὸν κίνδυνον τὸν ἐκ τῆς ὁδοῦ δεδιὼς κρύπτεται ἅμα ἐμοὶ πρός τινος τῶν ἐν ἄστει συνήθων), clarissime appareat, nihil aliud hac sententia significatum esse, nisi hortulanum tunc hortum suum neglexisse et in urbe remansisse, ut apud hospitem aliquem lateret. Quare cum ea, quae de itinere hortulani ad rusticum facto dicta sunt, una cum sequentibus recte stare nullo modo possint, firmissime inde probatur illam de rustici infortunio fabulam ab Apuleio demum ad fontem primarium adiectam esse.

Plus etiam momenti afferunt ad propositum nostrum ea, quibus ipsa illa pugna inter militem hortulanumque commissa describitur. Proficiscendum optime a Graeca narratione puto, cuius exordium ascribam (c. 45) καί ποτε ἐξιόντων ἡμῶν ἐκ τοῦ κήπου ἐντυγχάνει ἀνὴρ γενναῖος στρατιώτου στολὴν ἠμφιεσμένος καὶ τὰ μὲν· πρῶτα λαλεῖ πρὸς ἡμᾶς τῇ Ἰταλῶν φωνῇ καὶ ἤρετο τὸν κηπουρὸν ὅποι ἀπάγει τὸν ὄνον ἐμέ· ὁ δέ, οἶμαι, τῆς φωνῆς ἀνόητος ὢν οὐδὲν ἀπεκρίνατο· ὁ δὲ ὀργιζόμενος ὡς ὑπερορώμενος παίει τῇ μάστιγι τὸν κηπουρὸν κἀκεῖνος συμπλέκεται αὐτῷ etc. Magnam offensionem praebet sententia καὶ τὰ μὲν πρῶτα λαλεῖ πρὸς ἡμᾶς τῇ Ἰταλῶν φωνῇ. Apertum est verba τὰ μὲν πρῶτα sola pertinere posse ad proxima τῇ Ἰταλῶν φωνῇ, ideoque his praecedentibus necessario exspectari aliam respondere sententiam, qua narratum sit postea militem Graece quoque hortulanum percontatum esse. Quod cum textus noster non commemoret, conicere licet eum hic quoque mutilatum esse et inter verba κηπουρόν et κἀκεῖνος longiorem sermonem inter hortulanum et militem illius precibus, ut Graece loqueretur, commotum excidisse. Quod aliis quoque argumentis verisimillimum fit. Cur enim hortulanus, cum plagis militis intellexisset, illum silentio suo indignatum esse, non respondet ei sermonis ignorantia

se quid ille dicat, scire non posse sed contra quasi furiis agitatus vir ille de plebe infima dolorum patientissimus propter unam plagam aggreditur militem legionarium? Nonne Iuvenalis testis optimus confirmat in satira sexta decima, ne togatum quidem audere militem pulsare, immo si pulsetur, dissimulare nec audere excussos praetori ostendere .dentes (Iuven. XVI, 7—10)? Qua re hoc loco necessario requiritur, ut gravior aliqua iniuria commemorata sit, qua hortulanus in militem ad tantum furorem inflammatus esset. Sed omnes hae Graeci textus offensiones optime tolluntur, si illos sermones inseras inter militem hortulanumque habitos, quos Apuleius exhibet IX, 39. Narrat enim ille militem, cum vidisset hortulanum Latine non scire, Graece subiecisse, sibi illo asino opus esse statimque eum trahere conatum esse; quod hortulanum primum suppliciter deprecatum, cum nullis precibus militem mitigari intellexisset, manus cum eo conseruisse. Tunc igitur non sine causa gravissima hortulanus militem tam acriter impugnavit, sed asinum suum, quem unice fere possidebat, quoque ei ad vitam suam sustentandam maxime opus erat, a raptore defendit. Quae cum ita sint, non potest dubitari, quin hoc loco Apuleius integram Lucii narrationem repraesentet, cum ‚Lucianea' ab excerptore valde detruncata sit.

Quibus recte intellectis alia quoque Graeci explanatur obscuritas, quae inest in capite 45. Narratur enim in eo hortulani latebris a militibus nimia asini curiositate detectis illum in vincula coniectum esse, asinum contra a magistratibus militibus traditum. Paullo diversa Apuleius affert, cum dicit, asinum a quibusdam de superiore cubiculo detractum die insequenti a milite ab illo praesepio nullo equidem contradicente abductum esse (X 1). Patet hanc Apulei narrationem valde confusam esse, cum neque ubi post hortulanum comprehensum priore die asinus commoratus sit, neque a quo praesepio abductus sit, perspici possit. Qua de causa nullus dubito, quin clariorem et simpliciorem Luciani descriptionem Lucius quoque Patrensis exhibuerit eamque Apuleius mutationibus suis in peius converterit. Unum illud offensioni esse iure potest, quod magistratus asinum tradunt militibus, qui eum neque unquam poposcerunt neque omnino eius poscendi causam habent. Sed hoc quoque facillime explicabitur, dum illa inseras, quae ab Asini

epitomatore resecta et ex Apuleio ei restituenda esse supra exposui. Ibi enim apertis verbis dictum est militem ab hortulano asinum postulasse ad praesidis sarcinas de proximo castello advehendas, cumque eum arripere conatus esset, ab illo prostratum esse atque vehementissime diverberatum. Quae si praecesserant, sane consentaneum erat, cum hortulani asinique latebrae detectae essent, illum propter laesum militem in vincula conici, asinum autem militi tradi nempe ad praesidis sarcinas advehendas. Quo perspecto illud quoque consequitur, id quod Apuleius X 1 exhibet de asino proximo die a milite sarcinis onerato et ad proximam urbem producto ad fontem referendum esse. Et profecto hic quoque ironiam illam deprehendere mihi videor per totum Lucii libellum conspicuam, cum sua quidem sententia non praesidis sed ipsius sarcinas militem sibi imposuisse asinus libere profiteatur. Quae omnia prioribus illis resectis epitomator necessario debuit omittere.

Occurrunt praeterea hoc loco aliae quoque duorum librorum discrepantiae, sed omnes ita comparatae, ut facile cognoscas Asinum integram narrationem servasse, Apuleium satis inficete mutasse. Sicut ineptissime addidit milites ementitos esse hortulanum vasculum aliquod praesidis in via repperisse neque velle restituere. Neque enim eis opus erat tam vanis criminationibus, ut magistratus ad hortulanum investigandum permoverent; immo optime idem assequi poterant omnibus rebus, sicut gestae erant, simpliciter narratis. Neque minus perverse fecit, quod ex rebus ibi narratis non illud solum proverbium originem duxisse censet, quod Lucianus affert, ἐξ ὄνου παρακύψεως, sed clarius etiam illud et vulgarius de umbra asini, quod tamen inde nasci nullo modo potuit.

Quattuor his locis pertractatis iam satis confirmatum esse mihi videtur re vera et ‚Lucianum' et Apuleium eundem fontem secutos esse, qui illorum librorum discriminibus diligenter examinatis cum optimo eventu possit restitui. Quae cum ita sint, restat, ut reliquas eorum partes, quamquam tam certa excerptionis argumenta in Asino non praesto sunt, simili ratione comparemus, quidque inde colligi possit et de utriusque ratione et de communis fontis narratione, acerrime investigemus.

Narrat apud Lucianum primo capite Lucius se aliquando ex negotio Thessaliam petivisse litterasque habuisse ad Hipparchum

est, ut nonnulla cum proximis adversis frontibus pugnent. Praemisit enim eam Apuleius eis, quae in fonte suo de hortulani militisque cuiusdam concursu allata erant, atque ita cum eis coniunxit, ut narraret, hortulanum aliquando, ut rusticum illum visitaret, cum asino egressum, cum ille propter saevam fortunam ipse mortem sibi conscivisset retro ad hortum suum viam capessivisse in eaque cum milite congressum esse. Qua in re hoc prorsus neglexit, quod et in Graeco aperte dictum erat et ab ipso in versionem suam inde transscriptum militis hortulanique pugnam factam esse, cum aliquando hortulanus ab horto suo in urbem proficisceretur.[1]) Dicit hoc ipse hortulanus in capite 39 „petere se civitatem proximam" atque re vera milite oppresso „concito gradu recta festinat ad civitatem" (cap. 40). Quae cum praecedentibus, quibus hortulanum ab rustici casula retro ad ipsius hortum viam capessivisse expositum est in initio cap. 39, ita tantum possent conciliari, ut poneremus hortum in urbe ipsa situm fuisse. Quae explicatio inde sane commendari videtur, quod post verba illa „recta festinat ad civitatem" haec subsequuntur „nec hortulum suum saltem cu-

---

[1]) Incipit apud Lucianum haec narratio ab his verbis καί ποτε ἐξιόντων ἡμῶν ἐς τὸν κῆπον ἐντυγχάνει ἀνὴρ γενναῖος κτλ. Iam a Solano intellectum est, hunc locum sanum esse non posse, cum verba ἐς τὸν κῆπον repugnarent sequentibus, quibus hortulanum milite male mulcato urbem petivisse narratur (in exitu cap. 44.). Inde Courierus pro verbis illis restituendum esse coniecit ἐς τὴν πόλιν, prorsus improbabiliter, cum a verbis traditis ea nimis distent. Maiorem veritatis speciem primo aspectu Hercheri sententia prae se ferre videtur, qui ea ut glossam ex textu eicienda censuit. Patet tali ratione offensionem prorsus tolli atque ad verba ἐξιόντων ἡμῶν sic simpliciter posita lectorem aliquem, quonam egressuri essent, ascripsisse facile posse cogitari. Verum tamen nullo modo intellegitur, quomodo quis ad contextum explicandum haec verba annotare potuerit ἐς τὸν κῆπον, cum et ex toto contextu necessario concludere et ex eis, quae statim subsequuntur, certissime cognoscere debuerit hortulanum tunc non ex casula sua in hortum ivisse sed in urbem profectum esse. Qua de causa Hercheri quoque sententiam reiciendam esse putaverim atque hanc potius huic loco medelam afferendam, ut pro verbis ἐς τὸν κῆπον restituamns quod proxime abest ἐκ τοῦ κήπου.

voluisset, illis colloquium, quod Apuleius refert in cap. 21, attribuere coactum esse.

Sed haec argumenta valde debilia duco. Manifestum enim est apud Apuleium comites ea sola de causa inductos esse, ut de Socrate fabula ab iis narrari posset, ideoque illa resecta excerptori ne minimam quidem causam fuisse, cur eos retineret. Immo omnia optime procedebant, si a capite 2 statim ad caput 22 progrediebatur reliquis omnibus omissis. Quae cum ita sint, ego nullo modo possum mihi persuadere, excerptorem, cum illo modo optime et facillime fabulam abbreviare potuerit, miro aliquo comitum retinendorum studio permotum totam insequentem historiam mutasse. Multo quidem credibilius est Apuleium, cum comitibus usus esset ad fabulam illam narrandam, iam novam, ad quam Lucii percontationes dirigerentur, personam ipsum addidisse, quod eum saepius fecisse postea videbimus.

Verum tamen accuratius in hanc rem inquirendum est et totius loci contextus respiciendus. Concurrit Lucius apud ‚Lucianum' Hypata profecturus cum aliis quibusdam, qui et ipsi Hypata petant. Iam cum ad urbem accessisset, quaerit ex iis, num Hipparchum quendam cognitum habeant, apud quem sibi devertendum sit, petitque, ut domum eius sibi ostendant. Haec omnia bene inter se cohaerent ac ne minimum quidem vestigium praebent excerptionis. Similiter apud Apuleium quoque concurrit Lucius cum duobus Hypata proficiscentibus, sed non id ex eis quaerit, quod ei scire opus erat de Milone, sed post illorum discessum ex copa aliqua percontatur, num omnino Hypatis sit numque ibi Milo quidam habitet. Sed permirum esse videtur eum qui longum tempus cum duobus Hypatensibus iter commune fecisset, atque ab illis omnia illa optime comperire posset, non ex illis haec quaesivisse, utque Milonis aedes sibi ostenderent, petivisse sed Hypatis demum, num omnino recta via profectus sit Hypataque vere pervenerit, sciscitari. Patet igitur, quae apud Lucianum bene et apte procedant, eadem apud Apuleium introducta copae persona dirupta esse et depravata. Qua de causa mihi quidem non est dubium, quin falso de hac fabulae parte Goldbacherus iudicaverit atque non ‚Lucianus' hoc loco fontem mutaverit sed Apuleius.

Neque magis de Aristomenis fabula Goldbachero possum

assentiri. Narrat in ea civis ille Aeginensis, quomodo in itinere aliquo amicum suum Socratem Hypatis invenerit, et ut ex magarum turpi servitute sese liberaret et secum inde domum proficisceretur, admonuerit, et quomodo postero die, cum profecti essent, ille mira morte perierit, ipse trepidus per diversas solitudines aufugerit. Sed Lucianus claris verbis dicit, fuisse Lucii comites ipsos Hypatenses ἀπιόντες ἐς Ὕπατα, πόλιν τῆς Θετταλίας, ἐκεῖθεν ὄντες. Atque ab Hypatensi manifestum est omnia illa omnino narrari non potuisse. Iam vix credibile est, excerptorem comitum patriam mutasse; neque enim causam invenies mutandi, neque solet omnino quidquam ipse adicere sed nonnullis resectis reliqua, quantum eius fieri potest, immutata transscribere. Immo apertum est, Apuleium, ut de Socrate fabulam interponere posset, comites peregrinos induxisse pro Hypatensibus. Atque propter hanc mutationem etiam percontationes eum conicias ab illis ad anum Hypatensem transtulisse.

Sed certiora etiam accedunt argumenta. Dicit enim haec Aristomenes, autequam fabulam suam narrare incipiat (cap. 5 init.) „Sed tibi prius deierabo solem istum videntem deum me vera comperta memorare". Unde sequitur eam rem, quam prolaturus est, eum non ipsum vidisse, sed ab aliis Hypatensibus audivisse. Quod firmatur etiam insequentibus „nec vos ulterius dubitabitis, si Thessaliam proximam civitatem perveneritis, quod ibidem passim per ora populi sermo iactetur, quae palam gesta sunt". Neque enim aliter hanc sententiam possum intellegere nisi dicere velle Aristomenem, etiamsi statim sibi non credant, tamen, ubi ipsi Hypata venerint, de rebus a se narratis eos diutius non posse dubitare; nam ibi ea, quia palam gesta sint, omnium ore versari et ab omnibus affirmatum iri. Verum tamen haec omnia minime quadrant ad proximam de Socrate fabulam. Neque enim illam ab Hypatensibus comperit, sed ipse expertus est, neque palam ea gesta est sed altissima nocte Aristomene solo praesente; neque credibile est eam in omnium Hypatensium ore fuisse sed ab Aristomene, qui postea „trepidus quasi caedis humanae sibi conscius aufugisset", silentio tectam usque ad illud tempus, quo iam prolaturus est. Sequitnr igitur illos comitum sermones et fabulam de Socrate diversis ex fontibus fluxisse et ab Apuleio demum infeliciter con-

glutinatos esse. Unde satis fidenter conicias, hanc aliunde esse assumptam, illos ad ipsum fontem primarium redire, in quo quidem post illos aliae quaedam de rebus magicis paullo ante Hypatis factis narrationes adiunctae fuerint eis fortasse similes, quae in capite nono Apuleius affert de Meroae magica potentia.

Idem autem de fontis narratione ex altera quoque parte colligi potest ‚Luciani' capite primo examinato. Rectissime enim monet Goldbacherus ibi quoque magna molestia illos comitum sermones desiderari, quibus aptissime ei, qui legant, praeparentur ad ea, quae postea Lucius narret de sua ipsius transformatione. Sed multo gravius illud videtur, quod, nisi illa praemissa sunt, non cognoscitur, unde mirum Lucii portenti alicuius Hypatis visendi studium ortum sit. Neque quidquam contra protulit Knautius cum haec dicit. „Sed quamquam viatorum sermonibus apte eam insertam esse et his similibusque narrationibus Lucii animum ad portenti alicuius visendi cupiditatem facile incitari posse confitebimur, qua inflammatus a Luciano introducitur, tamen ex his intellegi posse negabimus Lucianum auctoris illius Patrensis libros epitomasse. Nam si quis putaverit necesse fuisse fabulas prodigiosas interponi, ut unde mota sit mira iuvenis cupiditas, certiores fieremus, ego talem causam adferri opus non fuisse dixerim, cum Thessaliae mulieres iam ante Luciani aetatem tantam artis magicae famam adeptae essent, ut homines in hanc terram proficiscentes eius ignari esse non possent.“ Haec omnia in universum recte disputavit, omisit tamen id quod gravissimum est, curnam Hypatis potissimum se aliquid magici spectaturum esse Lucius speraverit ideoque, quamquam apud hospitem avarum ei deversandum erat, tamen statim tres vel quinque dies hanc solam ob causam ibi remanere statuerit. Nam aperte haec dicta sunt in capitis 4 initio ἐπεθύμουν δὲ σφόδρα μείνας ἐνταῦθα ἐξευρεῖν τινα τῶν μαγεύειν ἐπισταμένων γυναικῶν καὶ θεάσασθαί τι παράδοξον ἢ πετόμενον ἄνθρωπον ἢ λιθούμενον. Nam si sola nota Thessalicarum mulierum fama Lucii ista cupiditas orta esset, curnam Hypatis eam ob causam remansit neque Larissae quoque, quo postea ei proficiscendum erat (cap. 11), tale quid sibi occursurum esse exspectavit? Neque enim per se credibile est, mulieres Larissenses aliis Thessalicis mulieribus in iisque

Hypatensibus artis magicae fama minus floruisse, et clarissime refellitur eis, quae in Apulei libro II a cap. 22 de illarum potentia exposita sunt. Contra clarissima haec omnia sunt apud Apuleium, apud quem hanc ob causam Hypatis potissimum tale spectaculum magicum se visurum esse sperat (II 1), quod comitum sermonibus libro praecedenti allatis de magarum Hypatensium diris conaminibus res permultas quam maxime mirandas et stupendas audiverat. Manifestum est simile quid apud Lucianum ad sententiam illam explicandam desiderari ac paene flagitari. Quae molestia sic sine dubio optime tolletur, si Asinum hoc quoque loco excerptum esse statuemus eaque recisa, quae ex Apuleianis Lucio vindicavi.

Accedit, quod etiam in ipso Asini textu excerptionis vestigium satis clarum videtur exstare. Maximas enim difficultates praebet sententia illa, quam paullo post exordium scriptam videmus καί πως ἔτυχον καὶ ἄλλοι ἀπιόντες εἰς Ὕπατα πόλιν τῆς Θετταλίας ἐκεῖθεν ὄντες. Videtur enim illa, si accurate interpreteris, particula καί ante ἄλλοι inserta necessario postulare, ut antea Lucii Hypata proficiscendi consilium commemoratum sit, eademque cum ad nomen Ὕπατα explicatio adiecta sit πόλιν τῆς Θετταλίας, clarissime indicare urbem illam hoc loco primo appellari. Quam discrepantiam facillime explices, si nostram de Lucii narratione probabis sententiam. Tunc enim apparet, primam huius capitis partem usque ad ipsam hanc sententiam, cum accurate concinat cum Apuleio (I 2) profecto ipsius Lucii exemplar nobis repraesentare. Atque etiam huius enuntiati partem priorem ἔτυχον δὲ καὶ ἄλλοι, si confero Apulei verba (I 2) „duobus comitum, qui forte paullulum processerant, tertium me facio“, ad illum rettulerim. At quae deinceps afferuntur de comitum patria et itinere ἀπιόντες ἐς Ὕπατα ἐκεῖθεν ὄντες apertum est ab excerptore esse profecta, cum apud Lucium comitum ipsorum sermone inducto haec quoque necesse sit directa oratione fuisse exhibita. Quare cum priorem huius sententiae partem una cum praecedentibus excerptor ex exemplari videatur transcripsisse, posteriorem ex ipso comitum colloquio haustam de suo addidisse, quid mirum, quod ipsa illa secum pugnet?

Omnibus iam recte perspectis illud restat, ut hanc Lucii narrationis formam ex Apuleio restitutam et ex ‚Luciano‘ firmatam optime ad ea quoque quadrare moneam, quae ante (p. 10)

conclusimus ex Photii de Lucii Patrensis libro iudicio. Nam si verba, quae apud Apuleium Lucius facit in capite 20 „ego vero nihil impossibile arbitror, sed utcumque fata decreverint, ita cuncta mortalibus provenire: nam et mihi et tibi et cunctis hominibus multa usu venire mira et paene infecta, quae tamen ignaro relata fidem perdant“, apud Lucium Patrensem quoque exhibita fuerunt, nonne iam mirum illud Photii iudicium σπουδάζων τε καὶ πιστὰς νομίζων optime explicatum esse vides eaque quae supra de eo conieci, prorsus firmata?

Proxima usque ad Apulei libri II cap. 18, quibuscum conferas Luciani capita 2—11, minimas praebent difficultates. Neque enim multa discrimina hac exstant in parte inter utrumque, et quid de eis iudicandum sit, facillime perspicitur. Neminem certe puto dubitaturum esse, quin et descriptio illa quam apud Apuleium insertam invenimus domus Byrrhaenae (II 4) et mira de capilli gratia disputatio (II 8, 9) ab ipso Apuleio adiectae sint. Neque aliter iudicandum est de eo, quod apud Apuleium II 2, ubi Lucii Byrrhaenaeque congressus narratur, etiam maritus Byrrhaenae introductus est. Nam huius personam sicut copae, de qua supra disserui, insertam esse ab illo, clarissime inde perspicitur, quod postea nusquam commemoratur, ne ibi quidem, ubi necessario commemoranda erat, in cenulae, ad quam Byrrhaena Lucium invitat, descriptione (II 19). Nam prorsus abhorret a moribus Graecis uxorem marito absente eiusmodi dapes instruere ad easque ipsam viros mulieresque convocare. Satis dubitanter iudicavit Goldbacherus de Pythiae historiuncula, (I 24, 25) quae ad certum iudicium faciendum ne minimum quidem praeberet adminiculum. At tamen alienam eam esse ab exemplari, inde luculenter apparet, quod Lucio apud hospitem Hipparchum deversanti, cur piscem emeret, nulla causa fuit.

Haec omnia satis levidensia atque eiusmodi, ut de iis vix dubitatio possit existere; gravius contra illud videtur, quod apud Lucianum, etiamsi Hipparchus in cap. 1 et 4 φιλάργυρος nominetur, tamen avaritia eius nusquam depicta est, quam Apuleius, usque ad taedium iterum iterumque describit ut cap. I 24, 26. II 11. Videtur inde primo aspectu concludendum esse, etiam in hac re excerptionis vestigia in Asino nobis obversari, Luciumque Patren-

Hypatensibus artis magicae fama minus floruisse, et clarissime refellitur eis, quae in Apulei libro II a cap. 22 de illarum potentia exposita sunt. Contra clarissima haec omnia sunt apud Apuleium, apud quem hanc ob causam Hypatis potissimum tale spectaculum magicum se visurum esse sperat (II 1), quod comitum sermonibus libro praecedenti allatis de magarum Hypatensium diris conaminibus res permultas quam maxime mirandas et stupendas audiverat. Manifestum est simile quid apud Lucianum ad sententiam illam explicandam desiderari ac paene flagitari. Quae molestia sic sine dubio optime tolletur, si Asinum hoc quoque loco excerptum esse statuemus eaque recisa, quae ex Apuleianis Lucio vindicavi.

Accedit, quod etiam in ipso Asini textu excerptionis vestigium satis clarum videtur exstare. Maximas enim difficultates praebet sententia illa, quam paullo post exordium scriptam videmus καί πως ἔτυχον καὶ ἄλλοι ἀπιόντες εἰς Ὕπατα πόλιν τῆς Θετταλίας ἐκεῖθεν ὄντες. Videtur enim illa, si accurate interpreteris, particula καί ante ἄλλοι inserta necessario postulare, ut antea Lucii Hypata proficiscendi consilium commemoratum sit, eademque cum ad nomen Ὕπατα explicatio adiecta sit πόλιν τῆς Θετταλίας, clarissime indicare urbem illam hoc loco primo appellari. Quam discrepantiam facillime explices, si nostram de Lucii narratione probabis sententiam. Tunc enim apparet, primam huius capitis partem usque ad ipsam hanc sententiam, cum accurate concinat cum Apuleio (I 2) profecto ipsius Lucii exemplar nobis repraesentare. Atque etiam huius enuntiati partem priorem ἔτυχον δὲ καὶ ἄλλοι, si confero Apulei verba (I 2) „duobus comitum, qui forte paullulum processerant, tertium me facio“, ad illum rettulerim. At quae deinceps afferuntur de comitum patria et itinere ἀπιόντες ἐς Ὕπατα ἐκεῖθεν ὄντες apertum est ab excerptore esse profecta, cum apud Lucium comitum ipsorum sermone inducto haec quoque necesse sit directa oratione fuisse exhibita. Quare cum priorem huius sententiae partem una cum praecedentibus excerptor ex exemplari videatur transcripsisse, posteriorem ex ipso comitum colloquio haustam de suo addidisse, quid mirum, quod ipsa illa secum pugnet?

Omnibus iam recte perspectis illud restat, ut hanc Lucii narrationis formam ex Apuleio restitutam et ex ‚Luciano‘ firmatam optime ad ea quoque quadrare moneam, quae ante (p. 10)

conclusimus ex Photii de Lucii Patrensis libro iudicio. Nam si verba, quae apud Apuleium Lucius facit in capite 20 „ego vero nihil impossibile arbitror, sed utcumque fata decreverint, ita cuncta mortalibus provenire: nam et mihi et tibi et cunctis hominibus multa usu venire mira et paene infecta, quae tamen ignaro relata fidem perdant", apud Lucium Patrensem quoque exhibita fuerunt, nonne iam mirum illud Photii iudicium σπουδάζων τε καὶ πιστὰς νομίζων optime explicatum esse vides eaque quae supra de eo conieci, prorsus firmata?

Proxima usque ad Apulei libri II cap. 18, quibuscum conferas Luciani capita 2—11, minimas praebent difficultates. Neque enim multa discrimina hac exstant in parte inter utrumque, et quid de eis iudicandum sit, facillime perspicitur. Neminem certe puto dubitaturum esse, quin et descriptio illa quam apud Apuleium insertam invenimus domus Byrrhaenae (II 4) et mira de capilli gratia disputatio (II 8, 9) ab ipso Apuleio adiectae sint. Neque aliter iudicandum est de eo, quod apud Apuleium II 2, ubi Lucii Byrrhaenaeque congressus narratur, etiam maritus Byrrhaenae introductus est. Nam huius personam sicut copae, de qua supra disserui, insertam esse ab illo, clarissime inde perspicitur, quod postea nusquam commemoratur, ne ibi quidem, ubi necessario commemoranda erat, in cenulae, ad quam Byrrhaena Lucium invitat, descriptione (II 19). Nam prorsus abhorret a moribus Graecis uxorem marito absente eiusmodi dapes instruere ad easque ipsam viros mulieresque convocare. Satis dubitanter iudicavit Goldbacherus de Pythiae historiuncula, (I 24, 25) quae ad certum iudicium faciendum ne minimum quidem praeberet adminiculum. At tamen alienam eam esse ab exemplari, inde luculenter apparet, quod Lucio apud hospitem Hipparchum deversanti, cur piscem emeret, nulla causa fuit.

Haec omnia satis levidensia atque eiusmodi, ut de iis vix dubitatio possit existere; gravius contra illud videtur, quod apud Lucianum, etiamsi Hipparchus in cap. 1 et 4 φιλάργυρος nominetur, tamen avaritia eius nusquam depicta est, quam Apuleius, usque ad taedium iterum iterumque describit ut cap. I 24, 26. II 11. Videtur inde primo aspectu concludendum esse, etiam in hac re excerptionis vestigia in Asino nobis obversari, Luciumque Patren-

sem ad eam narrationis formam propius accessisse, quam Apuleius ostendit. Verum tamen prorsus cum Knautio, qui tamen causas non attulit, consentio hoc loco integram fabulam ab ‚Luciano' non esse epitomatam sed ab Apuleio mutatam. Neque enim ita res est comparata, ut Asini auctor nil nisi Milonis avaritiae descriptiones omiserit, sed ita, ut eorum loco aliud exhibeat. Nimirum apud Apuleium Milo re vera avarus est talisque describitur, apud ‚Lucianum' contra ab Hypatensibus avarus habetur, non tamen est, sed bonum hospitem et liberalem erga Lucium se praebet (capp. 3 extr. et 4). Quare illud solum quaerendum est, utram descriptionem in communi exemplari fuisse censeamus. Quam ad rem diiudicandam rursus Apuleius nos adiuvat, quippe cui proprium sit, ut si quam partem fabulae mutavit, sibi non constet, sed prioris formae vestigia multis locis reservet. Quod hoc quoque loco accidit. Illi enim Milonis descriptioni cum aperte repugnat, quod dicit Lucius II 3 „Milonem hospitem sine ulla querela deseram" vel II 6 „probi Milonis genialem torum religiosus suspice", tum illud quod multo post dixit mutationis suae prioris iam oblitus VII 3 „crimine latrocinii in hospitem mihi carissimum postulabar". Unde in libris prioribus Apuleium narrationem mutasse fontemque eius Milonis mores similiter descripsisse atque Asini fabulatorem fit verisimillimum. Quid? quod paullo post in Lucii Fotidisque amore sermonibusque enarrandis rursus colorem historiae Apuleius prorsus mutavit. ‚Lucianus' enim qui hoc loco sine dubio exemplar quam fidelissime secutus est, constanter utitur similitudinum quarundam ambiguitate. Apuleius contra praeter paucissimos locos, ubi illa ambiguitate parum intellecta mira protulit,[1]) omnia aperte deflexit in obscenum eoque in studio mirum quam sibi constitit a capite secundi libri sexto et septimo per caput decimum et decimum sextum et septimum usque ad libri tertii vicesimum alterum et tertium. Atque idem studium postea etiam obversatur in eis, quae de Gallis narrat VIII 23—26, quo et ipso loco ad Graecum multas obscenitates Apuleius adiunxit.

Una reliqua est, de qua decernendum sit, de Chaldaeo Diophane fabula, quam Apuleius exhibet II 10—14. De hac quoque

[1]) Sicut illud μαχάριος ὅστις ἐνταῦθα ἐνεβάψατο ridicule vertit II 7 „felix cui permiseris illuc (scilicet in pulmentum) digitum intingere"

Goldbacherus ad certam firmamque sententiam pervenisse non videtur, cum haec proferat: *Nur die Geschichte, die Milo vom Chaldäer Diophanes erzählt, könnte allenfalls wohl eine Zugabe des Apuleius sein.* Qua de re cum eo consentire non possum. Neque enim haec fabella ut omnes fere eae, quae ab Apuleio insertae sunt, a Lucii casibus remota est atque aliena, sed artissimo vinculo cum illo coniuncta. Continet enim oraculum Lucio datum „nunc enim gloriam satis floridam nunc historiam magnam et incredundam fabulam et libros me futurum“ idque, si totius historiae cursum respicis, satis lepidum est et ad reliqui libelli festivitatem quam maxime aptum. Atque omnino totum fabellae argumentum optime concinit cum Asini narrationis ratione, et lepida illa descriptio, quomodo Chaldaei cuiusdam fallacia ipsius imprudentia omnibus apparuerit, cum rebus illis quae de Gallis postea narrantur bene potest comparari. Initium autem narrationis, quo Lucius se vaticiniis credere profitetur, eis optime respondet, quae ante dixit de rebus magicis, quae ad Lucium Patrensem referenda esse exposui. Quae si recte disputata sunt, sequitur et ipsam de Diophane fabulam et sermones praecedentes in cap. 11 et subsequentes in cap. 15 in Graeco quoque exemplari integra exhibitos fuisse.

Accedimus rursus ad locum graviorem, ‚Luciani‘ caput 11, cui Apulei respondent capita II 18 — III 19. Atque libenter ego quidem profiteor prorsus recte et acute Goldbacherum exposuisse, cum Abroeae personam prorsus inanem et superfluam esse diceret, nisi convivii, quod Apuleius II 17 seq. describit, quaeque cum eo cohaeret, risus festi descriptio iam in fonte fuisset, et ea quae Apuleius narrat III 14—18 aptissime transitum facere ad Lucii preces, quae in Asino prorsus abrupte afferrentur. Verum tamen haec argumentatio universa, ad quam ego nihil habeo quod adiungam, ut aptior fiat ad persuadendum, Graecus quoque textus accurate perlustrandus est, in quo, si res ita se habet, certissime possunt exspectari excerpendi vestigia. Incipit autem ab his verbis ἐν τοιαύταις ἡδοναῖς καὶ παιδιαῖς παλαισμάτων ἀγωνιζόμενοι νυκτερινοὺς ἀγῶνας ἐστεφανούμεθα. Manifestum est coniungenda esse verba ἀγωνιζόμενοι νυκτερινοὺς ἀγῶνας ἐστεφανούμεθα i. e. *nocturna certamina certantes coronabamur.* Quibuscum quomodo conciliari possint ea quae praecedant ἐν τοιαύταις ἡδοναῖς καὶ παιδιαῖς παλαισμάτων,

ego quidem hebetior sum, quam ut intellegam, neque aliter hanc sententiam expedire possum, nisi ut coniciam post vocem παλαισμάτων verbum excidisse quale διήγομεν vel simile. Excipiunt haec verba καὶ ἦν πολλὴ μὲν ἐν τούτῳ τρυφή. Ubi molestissima est particula μέν posita, cum non sit, quod ei respondeat. Cuius rei aliud exemplum unum toto hoc libello occurrit in capite 12 ὁρῶ οὖν τὴν μὲν γυναῖκα ἀποδυομένην. Neque incredibile est, quod Hercherus coniecit[1]), ibi interpolatione ortam esse eam particulam. Sequitur ὥστε τῆς εἰς τὴν Λάρισσαν ὁδοῦ παντάπασιν ἐπιλελήσμην. Verum tamen priusquam Lucius Fotidis amore omnium aliarum rerum oblivionem cepisset, non id maxime egerat, ut Larissam quam celerrime proficisceretur, sed ut Hypatis rem aliquam magicam conspiceret[2]) et ob hanc solam causam omnino Fotidis amorem petiverat. Quare si illius amoris voluptatibus per multa capita descriptis Lucium scriptor significare voluit adeo delectatum esse, ut omnia oblivisceretur, quae praeterea facere antea in animo habuisset, non iter Larissense ei commemorandum erat in hoc contextu, sed quod multo propius erat, magicae alicuius rei videndae consilium atque nisi hoc ante allato illud recte adiungi non potuit. Sed videamus proxima καί ποτε ἐπὶ νοῦν μοι ἦλθε. Quid ei aliquando in mentem

[1]) Hermae vol. VII 1873.

[2]) Conferas ea, quae exhibita sunt in fine capitis tertii Ἄπειμι μέν, ἔφην, εἰς Λάρισσαν, ἔοικα δὲ ἐνταῦθα διατρίψειν τριῶν ἢ πέντε ἡμερῶν. ἀλλὰ τοῦτο μὲν ἦν σκῆψις· ἐπεθύμουν δὲ σφόδρα μείνας ἐνταῦθα ἐξευρεῖν τινὰ τῶν μαγεύειν ἐπισταμένων γυναικῶν καὶ θεάσασθαί τι παράδοξον, ἢ πετόμενον ἄνθρωπον ἢ λιθούμενον. Dignum est notatu hunc quoque locum ab excerptore labem cepisse. Verbis enim ἀλλὰ τοῦτο μὲν ἦν σκῆψις clarissime significatur in praecedenti Lucii responso illum non veram suam sententiam proferre sed falsi quid praetendere. Atqui comparato capite 11 apparet prorsus nihil mendacii in eo inesse. Atque si verum quaeris, duo illa enuntiata simulatam veramque Lucii sententiam declarantia omnino nulla re inter se opposita sunt. Pertinent enim ad prorsus diversas res, cum prius nihil afferat nisi consilium Lucii Hypatis nonnullos dies commorandi, posterius contra illud consilium leviter tantum tangens verbis μείνας ἐνταῦθα causam veram ἐπεθύμουν δέ κτλ. aperte declaret. Patet igitur in priore quoque talem causam simulatam tamen et sequenti oppositam desiderari, quae sine dubio post verba πέντε ἡμερῶν inserta fuit.

venit? Id sine dubio exspectamus, quod ante dictum est eum oblitum esse scilicet iter Larissense. Sed plane fallit nos haec exspectatio, cum in Graeco textu huic priori sententiae parti haec subiecta sint ἐς τὸ μαθεῖν ὧν ἕνεκα ἤθλουν, καί φημι πρὸς αὐτήν. Vides igitur, quam perturbata hic sint omnia: eo loco, ubi magicae alicuius rei videndae consilium ex contextu elucet commemorandum fuisse, iter Larissense affertur, in illis contra, quae ad id solum iter referri posse videntur, prorsus de improviso mentio rerum magicarum inicitur. Iam considera, qua ratione hae duae diversae partes sint colligatae, quae porro sit structura ἐπὶ νοῦν μοι ἦλθεν ἐς τὸ μαθεῖν?[1]) Facile conicias duo haec cola, quae et sensu ad res diversissimas pertinere videantur, neque structura apte inter se conexa sint, in exemplari omnino coniuncta non fuisse, sed ab excerptore diversis ex partibus repetita ineptissime in unius enuntiati formam confusa esse. Quod egregie confirmatur etiam verbis illis καί φημι πρὸς αὐτήν; neque enim ut nunc est sententia, vox illa αὐτήν habet, quo pertinere possit, ita ut nonnulla hoc loco excidisse valde probabile sit.

Satis exposuisse mihi videor Asini sententias, quae fabularum ab Apuleio in capitibus II 17 — III 18 exhibitarum loco insertae sunt, non hic illic librariorum erroribus depravatas esse, sed omni omnino sano sensu rectoque ordine et conexu prorsus destitutas neque aliud esse nisi disiecta membra fabulae. Quibus intellectis reminiscendum est huius capitis loco Apuleium exhibere multo ampliorem narrationem eamque, ut optime ostendit Goldbacherus, argumento ipso ad rectum fabulae contextum efficiendum multo aptiorem. Quae cum ita sint, vix quemquam puto dubitaturum esse, quin totus hic Asini locus exemplaris Graeci, quod multo amplius et narrationi Apuleianae similius erat, brevissima sit epitome et fabulis illis, quas Apuleius nobis servavit, resectis reliqua neglegentissime sint consarcinata.

Quibus positis non solum omnium virorum doctorum coniecturae, quae de hoc loco prolatae sunt, facile refelluntur, sed etiam ea tollitur offensio, quam primus notavit Boissonadius (ad Nicet. I 75) in verbis c. 12 ἄγει με λαβοῦσα πρὸς τὴν θύραν τοῦ δωματίου, ἔνθα

---

[1]) Vulgo Dindorfium secuti ἐς delent, sed est in codicibus omnibus.

ego quidem hebetior sum, quam ut intellegam, neque aliter hanc sententiam expedire possum, nisi ut coniciam post vocem παλαισμάτων verbum excidisse quale διήγομεν vel simile. Excipiunt haec verba καὶ ἦν πολλὴ μὲν ἐν τούτῳ τρυφή. Ubi molestissima est particula μέν posita, cum non sit, quod ei respondeat. Cuius rei aliud exemplum unum toto hoc libello occurrit in capite 12 ὁρῶ οὖν τὴν μὲν γυναῖκα ἀποδυομένην. Neque incredibile est, quod Hercherus coniecit[1]), ibi interpolatione ortam esse eam particulam. Sequitur ὥστε τῆς εἰς τὴν Λάρισσαν ὁδοῦ παντάπασιν ἐπιλελήσμην. Verum tamen priusquam Lucius Fotidis amore omnium aliarum rerum oblivionem cepisset, non id maxime egerat, ut Larissam quam celerrime proficisceretur, sed ut Hypatis rem aliquam magicam conspiceret[2]) et ob hanc solam causam omnino Fotidis amorem petiverat. Quare si illius amoris voluptatibus per multa capita descriptis Lucium scriptor significare voluit adeo delectatum esse, ut omnia oblivisceretur, quae praeterea facere antea in animo habuisset, non iter Larissense ei commemorandum erat in hoc contextu, sed quod multo propius erat, magicae alicuius rei videndae consilium atque nisi hoc ante allato illud recte adiungi non potuit. Sed videamus proxima καί ποτε ἐπὶ νοῦν μοι ἦλθε. Quid ei aliquando in mentem

---

[1]) Hermae vol. VII 1873.

[2]) Conferas ea, quae exhibita sunt in fine capitis tertii Ἄπειμι μέν, ἔφην, εἰς Λάρισσαν, ἔοικα δὲ ἐνταῦθα διατρίψειν τριῶν ἢ πέντε ἡμερῶν. ἀλλὰ τοῦτο μὲν ἦν σκῆψις· ἐπεθύμουν δὲ σφόδρα μείνας ἐνταῦθα ἐξευρεῖν τινὰ τῶν μαγεύειν ἐπισταμένων γυναικῶν καὶ θεάσασθαί τι παράδοξον, ἢ πετόμενον ἄνθρωπον ἢ λιθούμενον. Dignum est notatu hunc quoque locum ab excerptore labem cepisse. Verbis enim ἀλλὰ τοῦτο μὲν ἦν σκῆψις clarissime significatur in praecedenti Lucii responso illum non veram suam sententiam proferre sed falsi quid praetendere. Atqui comparato capite 11 apparet prorsus nihil mendacii in eo inesse. Atque si verum quaeris, duo illa enuntiata simulatam veramque Lucii sententiam declarantia omnino nulla re inter se opposita sunt. Pertinent enim ad prorsus diversas res, cum prius nihil afferat nisi consilium Lucii Hypatis nonnullos dies commorandi, posterius contra illud consilium leviter tantum tangens verbis μείνας ἐνταῦθα causam veram ἐπεθύμουν δέ κτλ. aperte declaret. Patet igitur in priore quoque talem causam simulatam tamen et sequenti oppositam desiderari, quae sine dubio post verba πέντε ἡμερῶν inserta fuit.

venit? Id sine dubio exspectamus, quod ante dictum est eum oblitum esse scilicet iter Larissense. Sed plane fallit nos haec exspectatio, cum in Graeco textu huic priori sententiae parti haec subiecta sint ἐς τὸ μαθεῖν ὧν ἕνεκα ἤθλουν, καί φημι πρὸς αὐτήν. Vides igitur, quam perturbata hic sint omnia: eo loco, ubi magicae alicuius rei videndae consilium ex contextu elucet commemorandum fuisse, iter Larissense affertur, in illis contra, quae ad id solum iter referri posse videntur, prorsus de improviso mentio rerum magicarum inicitur. Iam considera, qua ratione hae duae diversae partes sint colligatae, quae porro sit structura ἐπὶ νοῦν μοι ἦλθεν ἐς τὸ μαθεῖν?[1]) Facile conicias duo haec cola, quae et sensu ad res diversissimas pertinere videantur, neque structura apte inter se conexa sint, in exemplari omnino coniuncta non fuisse, sed ab excerptore diversis ex partibus repetita ineptissime in unius enuntiati formam confusa esse. Quod egregie confirmatur etiam verbis illis καί φημι πρὸς αὐτήν; neque enim ut nunc est sententia, vox illa αὐτήν habet, quo pertinere possit, ita ut nonnulla hoc loco excidisse valde probabile sit.

Satis exposuisse mihi videor Asini sententias, quae fabularum ab Apuleio in capitibus II 17 — III 18 exhibitarum loco insertae sunt, non hic illic librariorum erroribus depravatas esse, sed omni omnino sano sensu rectoque ordine et conexu prorsus destitutas neque aliud esse nisi disiecta membra fabulae. Quibus intellectis reminiscendum est huius capitis loco Apuleium exhibere multo ampliorem narrationem eamque, ut optime ostendit Goldbacherus, argumento ipso ad rectum fabulae contextum efficiendum multo aptiorem. Quae cum ita sint, vix quemquam puto dubitaturum esse, quin totus hic Asini locus exemplaris Graeci, quod multo amplius et narrationi Apuleianae similius erat, brevissima sit epitome et fabulis illis, quas Apuleius nobis servavit, resectis reliqua neglegentissime sint consarcinata.

Quibus positis non solum omnium virorum doctorum coniecturae, quae de hoc loco prolatae sunt, facile refelluntur, sed etiam ea tollitur offensio, quam primus notavit Boissonadius (ad Nicet. I 75) in verbis c. 12 ἄγει με λαβοῦσα πρὸς τὴν θύραν τοῦ δωματίου, ἔνθα

---

[1]) Vulgo Dindorfium secuti ἐς delent, sed est in codicibus omnibus.

ἐκεῖνοι ἐκάθευδον. De quibus haec disserit „Credo scripsisse Lucianum ἐκείνη ἐκάθευδεν. Agi nempe manifestum est de cubiculo, ubi Hipparchi coniunx dormire solebat, non de communi Hipparchi et coniugis cubiculo. Etenim si tunc adfuisset Hipparchus vel dormiens, qui coniunx ausa esset, praestigiis se magicis in avem mutare? Qui praesertim post herae discessum ausa fuisset Palaestra, in hoc ipso cubiculo intrare, ut inde pyxidem aufferret? Nec credibile est in ipso Hipparchi cubiculo magicas arculas et capsulas a muliercula callida et prudenti fuisse repositas, tutius in proprio suo conclavi suspecta artis infamis instrumenta servabat.“ Contra quod Lehmannus nihil aliud protulit, nisi miram quandam auctoris neglegentiam hoc loco fortasse statuendam esse. Sed ego prorsus aliter existimo. Conferas enim Apuleium, qui loco respondenti III 21 haec habet „iamque circa primam noctis vigiliam ad illud superius cubiculum suspenso et insono vestigio me perducit“. Indicare vult sine dubio cubiculum paullo ante cap. 17, 18 accurate ab eo descriptum, quod maxime artibus suis magicis commodatum Hipparchi uxor secreto colebat. En tenemus, quod requirit Boissonadius; atque valde verisimile est Apuleium, cum cetera omnia ex Lucio petiverit, ne hoc quidem ipsum invenisse. Graecus autem excerptor, cum commemorationem et descriptionem illius cubiculi priorem una cum fabulis praecedentibus resecuisset, mutare coactus erat mutavitque ex consuetudine sua quam ineptissime.

Satis apparuit hoc quoque loco (cap. 11). Asinum pessime mutilatum esse atque lineamenta tantum modo nobis praebere, quae coloribus Apuleianis explenda sunt, si integram Lucii Patrensis imaginem restituere volumus. Restat igitur, ut ex Apulei fabulis quid ad Lucium Patrensem redeat, quid aliis ex fontibus adiectum sit, diiudicemus. Atque hoc quidem facillime perspicitur et Byrrhaenae convivii et risus festi descriptionem et Lucii pugnam cum tribus utribus commissam et Fotidis de dominae suae amore deque artibus, quibus amasium ciere studuerit et pro illo utres ad portam suam adduxerit, narrationem artissime inter se nexas colligatasque esse et una recepta omnes recipiendas. Qua vel sola re satis firmatur eas non ab Apuleio demum appositas esse, qui suas fabulas laxissimis vinculis vel potius nullis et inter se et cum fabula ipsa coniungere soleret. Neque potest negari satis leporis

inesse et in illa de utribus narratione et in iudicii de Lucio propter utres necatos habiti descriptione. Atque etiam hic cernitur ille color narrationis, de quo in primo capite verba feci, ut non solum facta externa, sed etiam ipsius, quae omnia narret, personae primariae res et dicta ironice describantur. Quam ob rem dubitari potest una de fabula Thelyphronis II 20—30. Atque ego quidem hanc a Lucio Patrensi abiudicaverim, quod et cum Lucii ipsius casibus prorsus non cohaeret et toto argumento tam similis est Socratis fabulae supra a Lucio Patrensi reiectae, ut utramque ab Apuleio ex eodem fonte haustam esse verisimile sit. Habes enim in utraque corporis partes aliquas a magis per somnum rescissas rursusque appositas, quae die postero prima occasione relabantur.

Sequitur Lucii transformatio (Apul. III 19—25 Luc. 11—14). In universum haec fabulae pars in utroque libello pari modo tractata est. Uno loco Apuleius narrationem ampliavit, cum ex verbis Graecis ἐδεόμην τότε τῆς Παλαίστρας πτερῶσαι κἀμέ κτλ. sermonem inter Lucium Fotidemque effinxerit (cap. 22, 23), qui stilum Apuleianum ubique redolet. Verum in fine huius sermonis verba quaedam adiecta sunt, quae sane notabilia sunt. Quaerit enim Lucius ex Fotide „Sed quod sciscitari paene praeterivi, quo dicto factove rursum exutis pinnulis illis ad meum redibo Lucium". Ad quod Fotis respondet sibi a domina singula monstrata esse, ut eam redeuntem adiuvare posset. Non potest negari haec verba hoc loco aptissima esse atque fabulae argumento optime convenire. At tamen minime hinc concludendum est, ea ad exemplar pertinere. Etenim etiam in capite undecimo in Lucii Fotidisque sermonibus harum duarum narrationum diversitas occurrit similis, quaeque cum hac aperte cohaereat. Cum enim ibi in Asino Palaestra se artis magicae prorsus imperitam esse profiteatur, Fotis in Metamorphosibus III 20 hanc rem omnino non tangit. Sed incredibile est excerptorem hanc sententiam de suo addidisse; immo clarissime patet Apuleium eam omisisse, cum postea in capite 23 narrationem supplere statuisset ibique Fotidem dicentem facere, se omnia illa a domina esse edoctam. Unde necessario consequitur gravem illam discrepantiam, quod Palaestra primum se artis magicae prorsus imperitam esse affirmet eademque postea remedium norit, quo asinus in integritatem restituatur, ad ipsum fontem redire eamque

Apuleium duobus illis locis paullum immutatis satis scite removisse. Atque si spectas initium illius quam supra attuli Lucii percontationis „Sed quae sciscitari paene praeterivi" eo fontis narrationem eum leviter voluisse perstringere facilis est coniectura.

Lucius in asinum mutatus in stabulum se confert, ubi reliqua iumenta versabantur ibique equi sui malignitate ad risum se motum esse narrat sed pro risu rudivisse. Adicit deinde haec verba ταῦτα γὰρ ἐνενόουν πρὸς ἐμαυτόν· ὦ τῆς ἀκαίρου ταύτης περιεργίας· τί δέ, εἴ λύκος παρειςέλθοι ἤ ἄλλο τι θηρίον; κινδυνεύεταί μοι μηδὲν κακὸν πεποιηκότι διαφθαρῆναι. ταῦτα ἐννοῶν ἠγνόουν ὁ δυστυχὴς τὸ μέλλον κακόν. Apertum est scriptorem hunc narrationis progressum efficere voluisse, ut asinus illo suo ruditu iniquae suae sortis meminisset ideoque intempestivam curiositatem queri inciperet, neque minus apertum est consilium illud in illis certe, quae nunc exstant, minime significari. Facile igitur conicias intercidisse sententiam, qua asinum dictum sit ruditu suo calamitatis memorem factum et ad tristitiam redactum esse. Quod firmissime inde probatur, quod particula γάρ in initio huius loci posita, cum nihil habeat, ad quod pertineat, ut tale enuntiatum, quale significavi, antea inseramus, necessario postulat.[1]) Omnia recte procedent, si haec fere verba interpones τοῦτο δέ με τῆς μεταμορφώσεως αὖθις ἀνέμνησε· καὶ μάλα ἐλυπήθην· ταῦτα γὰρ etc. Iam ‚Lucianeo' textu accurate pertractato rectius etiam iudicare poterimus de diversitate inter ‚Luciani' Apuleique narrationes hoc loco intercedente. Adiunxit enim Apuleius ad lepidam de equi malignitate fabulam aliam similis argumenti historiunculam, quomodo Lucius ab ipsius servulo crudelissime mulcatus esset. Disseruit de ea Knautius multaque in ea sibi invenisse visus est, quae sanae menti repugnarent. „Nam primum, ait, probabilius est, equisonem priusquam fustem adriperet, miratum quaesivisse, unde ignotus asinus in stabulum

---

[1]) Quod cum non perspexissent, varias coniecturas de hoc loco viri docti protulerunt sed sensum sanum restituere non potuerunt. Plerique ita se hunc locum sanare posse sibi visi sunt, ut molesta illa particula γάρ sublata pro γάρ δ'ἄρ' rescriberent, sed omiserunt illi difficultatem non solum in illa voce γάρ positam esse, sed in eo, quod necessario causa requiritur, cur Lucius ab risu illo subito descenderit ad lamentationes.

venisset, deinde quod haec omnia altissima nocte facta esse narrantur, haud iniuste mirari possumus, quomodo in stabuli tenebris asinus rosas statim aspexerit et servulus noctu vigilans asini facinus viderit.“ Quae commenta rectissime Goldbacherus explosit, ipse tamen firmiora non invenit. Atque tamen facillime invenire potuit, si Apulei ‚Lucianique‘ narrationem accurate comparasset. Fabella enim illa Apulei in textu Lucianeo non simpliciter omissa est, sed illius loco alia exstant, illa scilicet, quae supra accurate pertractavimus ταῦτα γὰρ ἐνενόουν usque ad ἠγνόουν τὸ μέλλον κακόν. Haec ab excerptore de genuina forma deflexa, ab Apuleio contra omissa esse nemo certe negabit. Quae si ad Lucium Patrensem referuntur, Apuleianae fabulae iam nusquam locus relictus est. Neque enim in ipsa harum sententiarum serie inserta fuisse potest, quippe quae omnes inter se artissime aptae colligataeque sint, neque in fine apposita, cum verba ἠγνόουν τὸ μέλλον κακόν iam insequentem spectent latronum irruptionem, neque denique initio praemissa, cum querimoniae ruditu illo praecedenti aperte sint effectae. Neque omnino res ab Apuleio narratae si antea gestae essent, de luporum similiumque bestiarum, quae fieri possent, incursionibus philosophatus esset asinus sed de ipsius sui servuli crudelitate. Nec desunt argumenta, quae probent fabulam ab ipso Apuleio confectam esse. Primum enim reliquae Lucii ‚Lucianique‘ narrationi repugnaret, quod hic servulus Lucii in stabulo dormit, cum in Graeci θεράπων εἷς (cap. 1) in ipsius Lucii cella stratum habeat (cap. 3, 7 extrem.). Nam Apuleius hac in re minime sibi constat, quippe qui servos primo omnino non commemoret, deinde cap. 24 initio tecte significet („quae itineris ubique nos comitantur“), tum II 15 puerorum mentionem faciat in Lucii cella dormientium, denique hoc loco afferat „servulum, cui semper equi cura mandata fuerat“. Accedit, quod dea Epona tam propria est cultui Italico, ut in Graeca fabula eam appellatam esse vix probabile sit.

Inrumpunt tunc latrones et ad praedam egerendam asinum quoque abigunt. Calamitatum, quas asinus in itinere perpessus est, descriptio in utroque libello simillima est (Asini cap. 15—20 Ap. III 28 — IV 8). Unus locus ex ea allatus est a Goldbachero ex Apulei capite III 29, ubi dicit Lucius se in itinere hortulum aliquem praetereuntem vidisse, in quo rosae florerent; iam illas

voluisse depascere, sed ea cogitatione inde deterritum esse, ne, si iam in Lucium mutaretur, a latronibus evidens exitium pateretur. Quorum loco ,Lucianus' haec exhibet (c. 12) c. ἐπὶ τούτῳ ἡμέρα τε ἤδη ἦν καὶ ἡμεῖς ὄρη πολλὰ ἀνεβεβήκειμεν καὶ στόματα δὲ ἡμῶν δεσμῷ ἐπείχετο, ὡς μὴ περιβοσκόμενοι τὴν ὁδὸν ἐς τὸ ἄριστον ἀναλίσκοιμεν· ὥστε ἐς τὴν τότε καὶ ἔμεινα ὄνος. Cohaeret sententia extrema ὥστε ἐς τὴν τότε καὶ ἔμεινα ὄνος artissime cum praecedentibus; nam ea re sine dubio, quod os eius capistro revinctum erat, impeditum est, ne rursus in hominem transformaretur. Verum non intellegitur, quomodo reformatio illa fieri potuerit vel ore libero. Quare hoc quoque loco lacuna statuenda est, quam et ipsam probabiliter excerptori attribuere poterimus. Patet autem propter verba ἐς τὴν τότε eam sic explendam esse, ut sententia irrealis existat talis fere, qualem finxit Wielandius, cum sic hunc locum vertit: „*Daher wäre ich für damals Esel geblieben, auch wenn es Rosen vom Himmel geregnet hätte.*" At eis, quae praeterea Apuleius exhibet nusquam locus relictus est; immo sicut in capite 15 ab ipso sine dubio ad fontem adiecta sunt.

Iam ex eis, quae apud latrones asino acciderunt, pleraque supra pertractata sunt. Sed restant de quibus disputetur leviora quaedam discrimina, ut omni ex parte disputatio absoluta sit. Ac primum quidem recte exposuit Goldbacherus nullo modo cogitari posse amplam duorum librorum Psychae fabulam a Lucio Patrensi exhibitam a ,Luciano' demum resectam esse. Neque enim ulla ratione cum ipsa Lucii fabula cohaeret, sed contra narrationis contextum satis incommode interrumpit. Nam solam propter illam insertam quod ,Lucianus' affert de nova latronum excursione post puellam captam postero die mane facta (in cap. 22 πρὸς ἡμέραν δὲ τῶν σκοπῶν τις τῶν τὰς ὁδοὺς φρουρεῖν εἰληχότων ἔρχεται ἀγγέλλων κτλ.") apud Apuleium omissum et solus eorum reditus descriptus est (VI 25).

Neque aliter iudicandum est de tribus illis fabellis, quibus Apuleius secundae latronum manus exponit calamitates. Nam etiamsi concedendum est his reiectis illam statuendam esse mero scriptoris arbitrio introductam esse, minime tamen inde concludere debuit Goldbacherus eas necessario ad Lucium Patrensem referendas esse. Qua ratione si progredereris, omnes fere fabulas ab

Apuleio additas ad illum redire facili opera demonstrare posses. Attulit praeterea Goldbacherus arte has latronum narrationes cohaerere cum eis, quae apud Apuleium de latronum comprehensione narrata sunt, quaeque ad integram fabulam pertinere supra exposui. Nam aperte illis causam afferri, cur tunc novo principe novaque iuventute latrones indiguissent. Verum si tali consilio ab auctore adiunctae essent, non in initio huius partis, quae de latronibus agit, apponi debebant, sed proxime illum locum, ubi latrones inquisitioni commilitonum insistere novumque principem eligere statuunt. Nam ut nunc narratio composita est, mirum est novae iuventutis colligendae principisque eligendi necessitatem ex scriptoris sententia Lamachi Alcimi Thrasyleonisque morte effectam paullo post a latronibus prorsus non sentiri, sed longum demum post temporis intervallum multis interea rebus feliciter gestis, cum ab speculatore revertenti cladium illarum memoria revocata esset, quae iam fieri necesse sint, recte intellegi. Quam ob rem mihi quidem nullo modo credibile videtur re vera hac in narratione scriptorem fabulas istas respexisse tribus libris ante narratas. Neque omnino eae ad illam explicandam aut necessariae aut aptae sunt. Nam ea certe, quae VII 4 dicta sunt, commilitonum inquisitioni insistendum esse, cum multi latrones variis casibus oppetiverint, unde in primis Goldbacherus sententiam suam effinxisse videtur, multo aptius certe referri possunt ad eas latronum pugnas, quae proxime antecesserunt. (VI 25.) Quod autem latrones Charitae sponso latronis speciem prae se ferenti ducatum deferunt, hoc cum fabula de Lamachi morte narrata neque cohaerere potest neque inde explicari. Nam ex verbis illi praemissis (IV 8 „At vos, qui Boeotias urbes adpetistis, ipso duce vestro fortissimo Lamacho deminuti debilem numerum reduxistis") dilucide apparet illum non latronum omnium principem fuisse, sed alterius tantum manus primas partes egisse.

Haec igitur omnia futtilia. Contra illud in primis monendum est in eis partibus narrationis, quae necessario ad primariam huius fabulae formam referendae sint, nativam illam simplicitatem, quae regnat per totam hanc fabulam, et quae abhorret a posteriorum fabularum Romanensium sophistica consuetudine, etiam in latronum vita moribusque describendis haud dubie agnosci. Nam cum in

illis latronum duces animi vel crudelitate vel nobilitate insignes in primariis fere fabulae personis esse soleant et res ab eis fortiter et audacter gestae non sine auctorum ipsorum quadam voluptate narrari videantur, in Asino ‚Lucianeo' hoc loco, ubi eiusmodi historiarum inserendarum sane facultas optima data erat, neque duces magnanimi introducuntur, neque omnino ulla latronum facta callida, astuta, audacia, fortia proferuntur. At proxime ad illarum fabularum similitudinem accedit Apuleius et his quarti libri fabellis, et eis, quae postea (VII 4—8) de Haemo latrone sunt narrata, ubi latronum principum constantia et fortitudo quam maxime celebratur et reliqua descriptionis simplicitas plane deseritur.[1]) Quae cum ita sint, facile intellegitur eas non ab eodem compositas esse, qui proxima conscripsit, sed ab auctore alio diversissimum consilium sequente, unde Apuleius in hanc fabulam convivii occasione data inseruit.[2])

Disputat deinde Goldbacherus de custode, quem in Graeco latrones relinquunt, cum primum praedandum abeunt (cap. 21), cum apud Apuleium eius mentio nulla fiat. Dicit autem eo inserto molestiam nasci, cum neque antea, cum latrones cum asino adveniant (cap. 20), neque postea in capite 23, ubi asini fuga describitur, custos adesse videatur. Quam ob rem illum coniciendum esse additum esse ab epitomatore, qui tali modo explicare voluerit, cur non iam antea asinus fugere conatus esset. Sed ne

---

[1]) Rectissime de hac re iudicavit Rohdeus (der griechische Roman p. 357 Anm. 1): *Bewunderung für die Kühnheit, Standhaftigkeit, Treue der Räuber grösseren Stils, wie man sie sich dachte, spricht sich nicht sowohl in den realistisch gehaltenen Skizzen aus dem thessalischen Räuberleben in Lucians* Ὄνος *als vielmehr in den von Apuleius seinem Romane eingelegten Räubergeschichten* (*Metam. Buch 4*) *sehr deutlich aus.*

[2]) Simile ‚Luciani' Luciique et Apulei latronum descriptionis discrimen in eo deprehendere mihi videor, quod hic ex sollemni more illorum scriptorum latrones facit in spelunca habitantes in capite IV 6 accurate descripta et postea quoque IV 23 et VI 25 commemorata, cum ‚Lucianus' de natura latronum receptaculi omnino nihil afferat, sed haec simpliciter dicat (in cap. 20) ἤλθομεν εἰς τὰ οἰκεῖα similiterque in proximis. Unde si Courierus conclusit (in edit. suae p. 222) illo Asini loco lacunam statuendam esse, aperte erravit.

his quidem ego possum assentiri. Nam aeque consentaneum est latrones in capite 23, ubi re bene gesta praedam prope absentem allaturi intra paucas horas reverti in animo habent, non relinquere custodem atque hoc loco, cum iter trium dierum ingressuri sint, eum relinquere. Neque magis hoc molestum esse mihi videtur, quod antea in capite 20, cum latrones a Milonis domus direptione redeant, custodis mentio non facta est. Nam semper hoc est respiciendum narrationem non ex auctoris persona sed asini factam esse ideoque custodem apte tunc commemorari, ubi eius praesentia ad asini fortunam alicuius momenti sit. Accedit, quod causa huius interpolationis, quam Goldbacherus statuit, aperte falsa est. Coniecit enim molestiam illam, quod asinus nondum in capite 21 fugere conaretur, sed demum in 23, in integro opere vix animadversam, in epitoma duabus his narrationibus propius positis excerptori intolerabilem visam esse. Sed prorsus neglexit inter Apulei capita IV 22 et VI 26 quae respondent illis ‚Lucianeis', ex ipsius sententia ex Lucio Patrensi hausta sola interesse capite IV 23, 24 et VI 25 ideoque ne in fonte quidem inter illas narrationes longius intervallum quam in Asino interfuisse posse. Quae cum ita sint, nullo modo possum probare epitomatorem, quem satis iam cognovimus ita fere rem gessisse, ut fabulae partibus quibusdam resectis reliqua quantum eius fieri poterat, non mutata transscriberet hoc loco nescio qua de causa custodem de suo adiecisse; immo certissime affirmaverim hic quoque integrum Lucii exemplar a ‚Luciano' repraesentari quod Apuleius nescio qua de causa mutaverit, ut saepius eum fecisse vidimus.

Charite asinoque Tlepolemi astutia servatis traditur asinus ab illius patre armentario equisoni in agros deducendus ibique pueri cuiusdem agasonis crudelitate acerbissime vexatur (Apul. VII 15—28 Luc. 27—33). Describuntur illae calamitates in ambobus libris tam similiter, ut multi loci ad verbum fere congruant. In ipso tamen fine huius partis Apuleius fabulam affert de morte pueri illius crudelis (cap. 24—28), quae a ‚Luciano' omissa est. Exemplari eam ascribit Goldbacherus propter narrationis colorem simplicitatemque. Quam sententiam probare ego non possum. Primum enim hoc quoque loco accidit Apuleius, id quod iam saepe crisin nostram adiuvit, ut, quae addebat, reliquis repugnare non

animadverteret. Exhibet enim VIII 15 haec „nec me pondus sarcinae quamquam enormis urguebat, quippe gaudiali fuga detestabilem illum exsectorem virilitatis meae relinquentem", quibuscum Asini caput 34 prorsus concinit ἄσμενος τὸ ἐμπόδιον τοῦτο τῆς ἐμῆς ἐδεξάμην ἐκτομῆς. Patet igitur dilucide hanc sententiam ex Lucio Patrensi fluxisse. Verum etiamsi ea aptissima est in Graeco, cum capite 33 evirationem ei imminere certiores facti simus, prorsus inepta videtur apud Apuleium, cum in additamento, de quo nunc agimus, in capite 26 aperte dictum sit, pastores tunc a priore sententia recessisse neque iam evirare, sed trucidare asinum tunc in animo habuisse. Qua re hac una sententia firme pervincitur quattuor illa capita ab Apuleio non ex fonte primario desumpta esse sed ab ipso adiecta. Accedit, quod is, qui hanc fabulam excogitavit, sine dubio homo ingeniosissimus fuit, quippe qui in novis semper condicionibus asinum versantem depingat neque unquam quidquam repetat. At prorsus alia est haec narratio, tota ex praecedentibus infeliciter conflata, cum et prior eius pars haud obscure ea respiciat, quae de asini fuga et comprehensione (VI 27—30) narrata sunt, et exordium cum eis congruat, quae in re simili Apuleius affert IV 3. Quod reliquum est tota argumenti ratio mirum in modum ita complicati, ut homo insontissimus a pastoribus necessario pro sicario habeatur, ex declamationum collectione illa sumpta esse probat.

Venit tunc nuntius ex civitate proxima in agros pastoresque certiores facit dominos eorum Chariten Tlepolemumque subita morte interiisse. Quo cognito illi fugere constituunt triumque dierum itinere confecto Beroeam perveniunt (Luc. 34 Apul. VIII 1—22). Qua ratione domini mortui sint, ‚Lucianus' narrat brevissime, cum simpliciter ambobus circa meridiem in ora maris ambulantibus fluctum supervenisse eosque oppressisse refert. Apuleius contra fabulam affert multo ampliorem quaeque ipsa argumenti atrocitate proxime accedat ad fabellas illas de pistoris morte deque rustici calamitatibus, de quibus supra disserui. Rectissime Goldbacherus exposuit praeeunte Rohdeo illam tam diversam esse a ceteris huius fabulae iocosae partibus, ut necessario efficiendum sit eam aliunde ab Apuleio assumptam esse. Et ipsum se iam ad aliena deverti satis clare significasse, cum sic nuntium praefantem

fecisset VIII 1, „sed ut cuncta noritis, referam vobis a capite, quae gesta sunt, quaeque possent merito doctiores, quibus stilos fortuna subministrat, in historiae specimen chartis involvere." Qualia eum praemittere solere vel subicere eis, quae aliunde delibavisset (conferas capita VI 25, IX 4, X 2). Quas ob causas Graecam ‚Luciani' narrationem, etiamsi res gravissimas brevius narraret, tamen pro primaria habendam esse. Haec satis fuissent de hoc loco, nisi prorsus novam sententiam de eo protulisset Maassius in commentatione indici scholarum Gryphisw. 1886/87 habitarum praemissa p. XIV annot. 2. Censet enim vir ille doctissimus omnia illa, quae Apuleius de Charitae Tlepolemique fortunis exponat IV 23—26, VII 1—12, VIII 1—14, artissime coniungenda esse et pro una fabella habenda, quae Euripidis Protesilai imitationem clarissime ostendat; atque quoniam exordium huius loci supra allatum certissime arguat Apuleium proxima de suo penu addidisse, totam fabulam ab ipso Apuleio conscriptam esse illumque ipsum a ‚Luciano' respectum.

Patet primo aspectu hanc sententiam probabilitatis speciem non magnam prae se ferre. Neque enim cuiquam credibile videbitur totam hanc fabulam de Charita puella a latronibus capta narratam, quae magna ex parte cum asini casibus tam arte cohaereat, ut nisi cum maximo totius historiae incommodo resecari non possit[1]), in primaria apud Lucium Patrensem forma omissam fuisse et postea demum ab amplificatore adiunctam, qui alius scriptoris opus rebus alienis admixtis dilataret. Accedit, quod Maassius, cum recte intellexisset exordio illo Apuleium ipsum significasse se iam ab exemplaris vestigiis decedere, artificiosius inde conclusit, quaecunque de Charitae sortibus narrentur ab Apuleio primo in hanc fabulam inserta esse. Multo simplicius sane multoque probabilius inde efficere potuit, quod omnes priores effecerunt Apuleium, cum in praecedentibus fontem suum servasset, insequentem fabulam aliunde adiunxisse. Atque omni hac disputatione firmissime demonstratum est Asino ‚Lucianeo' Apuleique Metamorphosibus accurate comparatis neminem iam dubitare posse,

---

[1]) respicias in primis asini virginisque fugam communem et punitionis communis mirum latronum consilium.

quin ‚Lucianus‘ integram fabulae formam servaverit, eandemque Apuleius satis inscite mutaverit; unde Maassi cadit sententia de Apuleio a ‚Luciano‘ respecto. Sed tamen ne ullus scrupulus remaneat, facere non possum, quin ipsas Maassii ratiocinationes breviter perlustrem atque refutem. Qua re etiamsi videar reliquae disputationis tenorem haud commode interrumpere, omittere tamen nolui, ut omni ex parte plenum evaderet hoc opusculum.

Tota autem quaestio in eo versatur, num re vera ea, quae antea de Charitae Tlepolemique variis casibus narrata sunt, cum eis, quae hic de morte eorum afferuntur, tam arte cohaereant, ut ea ab eodem scriptore profecta esse Maassio necessario concedendum sit. Quam rem ut recte dispiciamus, omnia, quae de eis exposita sunt, brevi conspectu animo nostro proponamus. Charite igitur puella nobilis, cum Tlepolemo adulescenti pridem ei destinato nuptura esset, ipso nuptiarum die latronibus subito inrumpentibus abripitur et in illorum receptaculum abducitur (IV 23—26). Unde cum asini auxilio fugere conata esset, a latronibus comprehensa crudelissimae morti destinatur (VI 27—32). Contingit autem Tlepolemo, ut in latronum manum ipse recipiatur et lautis dapibus instructis latrones omnes ad summam ebrietatem adigat. Quo facto puellam domum reducit paulloque post accipit in matrimonium (VII 1—12). Haec priora et argumento cum asini casibus artissime cohaerere et oratione ad reliquae fabulae similitudinem prope accedere ideoque iam in ‚Luciani‘ Apuleique communi fonte fuisse supra demonstrare conatus sum. Neque quemquam puto negaturum esse narrationem illam plenam et rotundam esse, neque quidquam requiri, quod necessario addatur. Iam multo post longa de novis asini calamitatibus fabella interiecta rursus in utroque libello Charite Tlepolemusque commemorantur, sed diversissima ratione. Nam cum apud ‚Lucianum‘ eos ambos subita morte interiisse brevissime narratum sit, apud Apuleium nova fabella adiecta est eaque, ut supra iam annotavi, argumento et sermone a priore prorsus abhorrens. Narrat enim Thrasyllum quendam iuvenem uno cum Tlepolemo Chariten in matrimonium petivisse sed propter morum maculas repulsam tulisse. Cum autem amor eius in dies auctus esset, illum Tlepolemum interficere constituisse consiliumque suum prima data occasione exsecutum esse. Tunc Chariten

primum et ipsam mortem inedia petivisse, exoratam tandem a parentibus, ut vitae suae parceret, luctu et maerore animum carpsisse et „imagines defuncti, quas ad habitum dei Liberi formaverat, adfixo servitio divinis percolentem honoribus ipso sese solacio cruciasse". Cum autem Thrasyllus eam de nuptiis convenire coepisset, umbram Tlepolemi per somnum ei visam totius sceleris scaenam ei patefecisse. Quo percepto Thrasyllo eam per somnum acu comatoria oculos effodisse et tum sibi ipsam Tlepolemi gladio mortem conscivisse. Thrasyllum omnibus cognitis fame mortem quaerere constituisse.

Recte primus admonuit Maassius Bacchicam illam Tlepolemi imaginem ab Euripidis Protesilao ad Tlepolemum Apuleianum translatam esse et omnino in plerisque hanc Apulei fabulam cum Euripidea consentire. Utramque enim Laodamiam et Chariten novam nuptam interempto marito mortui imagine delectari, utrique coniugis umbram apparere, ut nova matrimonia impediret, utramque fidem servaturam mortem sibi consciscere. Patet autem mea quidem sententia clarissime hanc Euripideae fabulae imitationem in hac tantum fabella conspicuam esse, quae est de Charitae morte, in prioribus autem ne minimum quidem eius vestigium detegi. Neque enim, ut Maassius voluit, ideo, quod Charite ipso nuptiarum die a latronibus abripitur, recte comparari potest cum Laodamia, quae et ipsa post unam noctem et rudimenta Veneris a marito suo separata sit, indeque concludi Protesilaum ab Apuleio hoc quoque loco respectum esse. Nam Laodamia maritum suum ad bellum Troianum profectum nusquam postea revisit, Charite paullo post ab ipso Tlepolemo rursus liberatur cum eoque nuptiis coniungitur. Immo cum Laodamiae nuptiis Protesilai profectione morteque diremptis sola, quae in ipsa de morte Charitae fabula occurrit, nuptiarum Charitae interruptio et ipsa caede Tlepolemi effecta componi mihi posse videtur. Quo statuto facile intelleges fabulae Euripideae qua ratione ceterae partes ab Apuleio hac narratione expressae sint, quod recte Maassius exposuit, eadem initium in huius initio respectum esse, ubi Tlepolemi mors refertur. Quod si verum est, ex tota fabula Euripidea, quod ad illa priora referri possit, profecto nihil iam reliquum est. Exposuit praeterea Maassius praeter Protesilai fabulam eundem scriptorem

Herodoti quoque de Atye Croesi filio narrationem respexisse et ex ambabus suam ita composuisse, ut paucissima tantum novaret vel adderet. Atque hanc totius narrationis compositionem etiam in priore parte ipsum Apuleium apertissime indicasse verbis quibusdam elucere capitis IV 26, ubi haec leguntur in Charitae marito suo ereptae lamentationibus „Sic ad instar Atyis[1]) vel Protesilai dispestae disturbataeque nuptiae". Sed ne hinc quidem consequitur, quod consequi volebat Maassius, omnia, quae post illum locum sequantur, pro una et continua fabella habenda esse. Nam etiamsi Protesilai et Atyis fabularum imitationem et contaminationem libenter concedo[2]), tamen certissimum est ad solam posteriorem de Charitae morte narrationem pertinere, in prioribus contra quae ipso argumento maxime abhorrent ne minimum quidem eius apparere vestigium. Quod de Protesilao accurate supra demonstravi, de Atye per se patet neque negatum est a Maassio. Qua re si haec duo nomina iam illo priore loco occurrunt, aut antea mera Apulei libidine, ut altiorem sonum narrationi indueret, adiecta esse censenda sunt (ut similia additamenta mythologica leguntur I 12, III 19, VI 29 alibi) aut, quod Maassii expositione mythographica fit verisimilius, statuendum est Apuleium memorem consilii futuri iam tunc in re simili illud ex mythologia adspersisse. Nullo certe modo propter sola haec duo nomina concludendum erat duas illas de Charite narrationes argumento et compositione diversissimas ab uno auctore conscriptas esse.

Maassii sententia reiecta perstandum est in priorum virorum doctorum omnium consensu breviorem ‚Luciani' narrationem ex fonte haustam esse eiusque loco ab Apuleio aliam fusiorem insertam. Quod illinc quoque comprobari potest, quod etiam hoc loco fabula ‚Lucianea' ad totius historiae contextum multo melius accommodata est, quam Apuleiana. Apertum enim est non sine causa duplicem Charitae Tlepolemique mortem in utroque libello afferri, nempe

---

[1]) „Attidis" exhibet codex Florentinus, unde recte id quod supra scriptum est elicuit Kiesslingius.

[2]) Patet hac compositionis ratione hanc fabulam simillimam esse ei, de qua supra verba feci de pueri crudelis morte. Unde facile conicias utramque ab ipso Apuleio profectam esse. At prior Charitae fabula ipsa novitate et proprietate argumenti ab illis maxime distat

ut pastorum fuga explicetur mutati domini novitatem metuentium.[1]) Cum autem totius fabulae compositione necessario postularetur, ut unus nuntius de hac re afferretur, scriptor facere non potuit, quin eos ambos eodem fere tempore fingeret interiisse. Atque sic re vera narratio comparata est in integra fabulae forma apud ‚Lucianum'. Respuit eam Apuleius propter nimiam simplicitatem; sed cum uberiorem eius loco apponeret, molestiam illam non effugere potuit, quod etiam de Tlepolemi morte qui multo ante perierat tunc primum pastores certiores fieri videntur.

De itinere servorum fugientium ‚Lucianus' haec tantum affert καὶ τὴν νύκτα ὅλην ἐλθόντες ὁδὸν ἀργαλέαν καὶ τριῶν ἄλλων ἡμερῶν τὴν ὁδὸν ἀνύσαντες ἐρχόμεθα ἐς πόλιν τῆς Μακεδονίας Βέροιαν μεγάλην καὶ πολυάνθρωπον. Apuleius hoc loco rursus tres fabellas inseruit. Atque cum prima et secunda aliquo certe vinculo cum pastoribus et asino coniunctae sint, tertia cum primaria fabula plane nulla ratione cohaeret atque ipso exordio („pagum quendam accedimus . . . ubi coeptum facinus oppido memorabile narrare cupio") aperte testatur se ab Apuleio aliunde delibatam mera libidine hoc potissimum loco appositam esse. Qua re hanc Goldbacherus quoque a Lucio Patrensi abiudicavit, reliquas contra duas satis fidenter ad eum rettulit. Verum tamen ne secundam ei attribuamus, obstat ipsum genus narrandi, cum res mirae et prodigiosae in ea non sicut in ceteris ironice, sed graviter et religiose descriptae sint. Quam ob rem hoc loco in dubitationem vocari potest sola prima fabula (15—19), quae et sermone et argumento ad reliquae historiae consuetudinem prope accedit. Atque ego quidem libere profiteor certum aliquod argumentum, decernendi me nusquam invenisse. Pronior autem sum in eam

[1]) Verba Graeca οἱ δὲ ὁ͂α δὴ κεκενωμένης τῆς οἰκίας νέων δεσποτῶν ἔγνωσαν μηκέτι μένειν ἐν τῇ δουλείᾳ vulgo aliter interpretes intellegunt, cum voces νέων δεσποτῶν coniungant cum praecedentibus κεκενωμένης τῆς οἰκίας, non cum sequentibus ἐν τῇ δουλείᾳ. Sed nullo modo eas pertinere posse ad Chariten Tlepolemumque clarissime inde elucet, quod deest articulus τῶν. In hyperbato minime offendendum est, cum rectissime exposuerit et Lehmannus ad cap. 16 et Courierus ad cap. 20 in huius generis translationibus verborum auctorem aliquid quaesivisse videri; certe saepissime eas usurpasse.

sententiam, ut duabus quae sequuntur a Lucio Patrensi reiectis hanc quoque ab eo abiudicem eumque simili simplicitate usum esse putem atque ‚Lucianum‘.

Constituunt tunc pastores iumentorum venditionem, emiturque asinus a Gallorum principe Philebo ad deam Syriam circumferendam. Apud Gallos quae passus sit, a ‚Luciano‘ describuntur in cap. 35—41, quibus respondent Apuleiana VIII 23 — IX 10. Quae etiamsi in universum cum ‚Luciano‘ concinant, in singulis tamen multae hoc quoque loco occurrunt diversitates, quorum de gravissima supra disputatum est, de reliquis nunc disputandum.

Ac primum quidem Philebi praeconisque sermones, quibus ‚Lucianeam‘ simplicissimam venditionis descriptionem apud Apuleium auctam vides et exornatam, et ipsa argumenti absurditate et rerum Romanarum crebra mentione (ut legis Corneliae in cap. 24) se ab Apuleio profectos esse ipsi apertissime declarant. Qui praeterea ita quoque Graeca dilatavit, ut ex consuetudine obscenitates ipse quam plurimum augeret, sicut in fine cap. 25, 26. Eodem studio adductus est, ut in fine capitis 26 novam personam introduceret iuvenis, qui domi promiscui operis partiarios agebat concubitus. Nam hunc quoque sicut supra Byrrhaenae maritum et copam Hypatensem ab Apuleio demum additum esse facillime inde perspicitur, quod postea in re simillima (cap. 29) nusquam eius mentio fit, sed fortissimus quidam rusticanus ad cenam adhibetur.

Neque magis dubitari potest, neque quisquam adhuc dubitavit, quin ea quoque fabula, quam Apuleius exhibet IX 5—7, ab illo sit apposita, cum et a fabula primaria prorsus aliena sit et nota illa formula Apuleiana adnexa „cognoscimus lepidam de adulterio cuiusdam pauperis fabulam, quam vos etiam cognoscatis volo“. Qualia exordia saepius iam observavimus in Apuleianis additamentis ut paullo supra VIII 22.

At de proximo capite octavo libere Goldbacherus professus est, se prorsus incertum esse, cum ad iudicium firmum ferendum ne minima quidem ansa data esset. Sed tamen etiamsi ex ipso hoc capite de auctore eius nihil dici potest, proxima satis clare demonstrant recte eum fecisse, cum in tabula sua hoc quoque in additamentis Apuleianis numeraret. Conferas enim sodes Apulei

caput 9 cum ‚Luciani‘ 41. Apud hunc omnia sano ordine ab initio usque ad finem exposita sunt, cum primum Gallos phialam furatos esse paganosque eos persecutos phialamque repetivisse narratum sit, deinde qua ratione Galli furti convicti et puniti essent, adiectum. Apulei contra narratio obscura est et confusa, cum incipiat a mediis rebus, scilicet furti insimulatione, neque antea furti ipsius paganorumque persecutionis mentio iniecta sit. Patet igitur post fabellam aliquam, quam Apuleius solus exhibet, proximae narrationis initium ab eo omissum esse et a ‚Luciano‘ solo recte servatum. Cuius rei exemplum alterum iam supra deprehendimus, cum post Psychae fabulam insertam insequentem narrationem Apuleius mutilasse visus sit (cf. p. 40). Atque ut in illa, sic hic quoque non aliter de hac re iudicare poterimus, nisi ea de causa eum illud Lucii exordium praetermisisse, quod aliam fabulam ab illo alienam anteposuisset.

Restant iam, ut tota fabula pertractetur, ea sola, quae sequuntur post Asini caput 45. Atque proxima usque ad asini reformationem ab utraque scriptore simillime narrata sunt. Inseruit rursus Apuleius duas fabellas X 2—13 et 22—28 cum asini casibus non cohaerentes et argumento tali, ut de ambabus recte dicere potuerit Apuleius, quod alteri praemisit X 2 „iam ergo, lector optime, scito te tragoediam non fabulam legere et a socco ad cothurnum ascendere.“ Quare non potest dubitari, quin ambae ab Apuleio adiectae sint.

Quomodo Lucius reformatus sit, quidque post reformationem gesserit ‚Lucianus‘ Apuleiusque diversissime describunt. Ille enim narrat asinum in theatro cum muliere damnata coiturum inter florum decora rosas animadvertisse illisque statim depastis ilico in priorem Lucium transformatum esse. Cumque spectatores haesitassent, utrum eum ut magum et veneficum statim comburerent an exspectarent, quid de hac mira transformatione ipse dicturus esset, Lucium a praeside, qui hospes eius paternus erat, absolutum esse et in ipsius domum deductum. Tum quam celerrime eum domuitionem parasse, antea tamen constituisse iam ut hominem revisere mulierem illam, quae cum asino concubuerat. A qua miserrime tractatum postero die navem conscendisse et secundo vento brevi in patriam revenisse. Prorsus alia affert Apuleius.

Fugit enim apud illum sine certa causa asinus de theatro Corinthio Cenchreas, ibique cum lunae orbem marinis fluctibus emergentem vidisset, deam illam invocare statuit, ut dira quadrupedis facie repulsa se Lucio suo reddat. Per somnum Isis ipsa Lucio apparet seque sacerdoti suo, ut proximo die in pompa coronam roseam gestet, imperaturam esse promittit. Fiunt omnia sicut dea promiserat, reformatur Lucius gratoque animo totam reliquam vitam soli Isidis ministerio impendere constituit. Inde nusquam de deae simulacro digreditur et a sacerdote primario enixe rogat, ut quam celerrime Isidis mysteriis initietur. Qua re peracta Romam profectus Osiridis quoque orgiis illustratur et paullo post in ipsum pastophorum collegium adlegitur.

Censuerunt nonnulli viri docti ut Goldbacherus et Diltheyus hanc Apulei narrationem integram fabulae formam nobis ostendere eaque resecta Asini epitomatorem alium exitum de suo adiecisse. Quae sententia prorsus mihi videtur reicienda esse. Neque enim omnino excerptorum mos est partium omissarum loco alias inserere, neque tale quid exspectari potest de Asini epitomatore, quem ubique ita se gessisse vidimus, ut sane multas fabulae partes maiores minores recideret, sed reliqua ita ut erant transscriberet, saepe ne eis quidem mutatis, quae prioribus recisis necessario mutari debuerunt. Qua sola eius consuetudine nobis contigit, ut Asinum epitomen esse firme demonstrare possemus. At Apuleium amplas narrationis partes de suo adiecisse permultis locis cognitum est. Patet igitur tota librorum indole et compositione Goldbacheri sententiam reici contrariamque commendari.

Quod optime comprobatur ipsis harum diversarum narrationum argumentis. Apertum enim est asini exitum, licet locis quibusdam mutilatus sit, et argumento et narrandi ratione cum reliqua fabula egregie concinere et in primis ea quae in cap. 56 narrata sunt capitis 51 narratiunculae quasi mucronem esse. Nam sic demum coniunctis his duobus capitibus rationibusque diversis, quibus mulier erga asinum et hominem Lucium usa sit, lepide inter se oppositis huius fabellae consilium recte intellegitur totaque eius ironia perspicitur quae quidem valde minuitur atque adeo diluitur, extremum caput si omiseris. Contra Apulei librum undecimum, qui totus in eo versatur, ut emolumenta et praemia mysteriorum animo

religioso celebrentur, manifestum est argumento suo ab illa Lucii ironia et hilaritate prorsus distare. Atque illud quoque accedit, quod Lucio reformato et in patriam reverso fabula ad naturalem quendam finem perducta est ita ut omnia, quae praeterea addantur, languida videantur et supervacanea. Quae cum ita sint, cui tandem probabile videtur, exitum Apuleianum cum praecedentibus non solum nullo vinculo cohaerentem sed etiam argumento discrepantem ab ipso Lucio Patrensi compositum esse, eum contra, quem ‚Lucianus' exhibet, aptissimum et ad priora recte intellegenda paene necessarium ab alio quodam eoque excerptore adiectum esse?

Vides vel his Goldbacheri sententiam valde labefactatam esse verisimillimumque videri hic quoque ‚Lucianum' Lucii exemplar repraesentare et Apuleium totum librum undecimum suo arbitrio adiecisse. Sed multo certiora accedunt argumenta. Luculentissime enim demonstrari potest et demonstratum est a Rohdeo (Mus. Rhen. XL p. 76 sqq.) omnino a nullo alio scribi potuisse totum illum librum nisi ab Apuleio, quia in eo non iam de Lucii casibus ageretur sed de ipsius Apulei vita factisque. Nam clarissime patet eum Lucium, qui in libro undecimo describatur ut deorum cultui intentus et propter pietatis suae abundantiam in intimam deorum gratiam receptus, prorsus diversum esse ab eo Lucio, cuius calamitates ridiculae et saepe lubricae in decem prioribus libris narrentur. Et exposuit optime Rohdeus (pp. 78, 79) ea, quae de Lucii fortuna et familia in hoc libro exposita essent, cum prioribus nulla ratione posse conciliari eademque tamen optime congruere cum eis, quae de Apulei vita ex reliquis eius scriptis cognita haberemus. Atque ipse Apuleius etiamsi contextum inter librum X et XI non prorsus interrupit et in hoc quoque locis quibusdam Lucium ut Corinthium descripsit (cap. 18 et 20), apertissime tamen iam non se de Lucio illo priore verba facere, sed de se ipso verbis quibusdam indicavit cap. 27 „mitti sibi Madaurensem sed admodum pauperem". Quam vocem Goldbacherus ut sententiae suae maxime adversantem corruptam esse censuit eiusque loco aliud restituendum, ut „mane Doriensem" vel quid simile. Neque enim credibile esse Apuleium perpetuum illum suae laudis virtutisque praeconem se Lucio paullo ante ex asino reformato subiecisse itáque sibi acerrime ipsum irrisisse. Verum tamen ego

non video, cum has duas narrationis partes clarissime segregasset et priorem illum Lucium lascivum et ridiculum, ne quis cum se ipso compararet, nomine patria genere condicione diversissime descriptis satis cavisset, cur ille huic libri undecimi Lucio sua pietate et Isidis auxilio de fortuna sua triumphanti impune se subicere non potuerit. Non magni momenti sunt, quae praeterea Goldbacherus attulit ad coniecturam suam firmandam ab Rohdeo omnia optime refutata. Quare hoc certissime constat, libri undecimi argumentum ab ipso Apuleio excogitatum et cum reliqua fabula male consarcinatum esse, Lucium autem Patrensem eundem fere exitum exhibuisse atque ‚Lucianum'.

Caput III.

Praecedenti disputatione demonstratum est Asinum ‚Lucianeum' in universum satis apte et bene compositum esse et in primis eundem narrationis colorem, lepidum illum et iocosum, in omnibus partibus servari. Occurrere autem in eo locos permultos, qui aperte mutilati essent (conf. cap. 15, 17, 40, 42, 44), deinde alios qui aut contextum prorsus laceratum et discerptum praeberent aut talem qui ex eis solis, quae in Asino narrata sunt, non satis intellegi posset (cf. cap. 11 et 26). Tolli autem omnes has difficultates comparatis Apulei Metamorphosibus, ubi lacunas illas vides aptissime expletas esse, ea quae in Asino explicari non possint, fabulis aliis interpositis optime quadrare, capitum illorum confusorum loco narrationes quasdam pleniores in Asino omissas exhibitas esse.[1])

Iam diligenter exposui Apulei Metamorphosibus prorsus eandem rem atque in Asino ‚Lucianeo' saepe iisdem fere verbis et eadem ratione ironica narratam esse, ex iisque ea, quae in Asino omissa essent, optime posse restitui. Adnexas autem esse ad illam fa-

[1]) Uno verbo moneam, quod per se patet, ‚Lucianum' huius epitomae auctorem nullo modo posse haberi. Assumpta autem est in illius librorum numerum propter nominum Lucii et Luciani vel Lycini similitudinem.

bulam primariam multas diversissimi argumenti fabellas, alias iocosas et lepidas, alias diras et atroces, alias plenas religionis et superstitionis, alias superstitionem irridentes. Atque plerasque ex eis ad fabulam primariam levissimis tantum vinculis adiunctas esse eius modi locutionibus ut X 2 „post dies plusculos ibidem designatum scelestum ac nefarium facinus nomini, sed ut vos etiam legatis, ad librum profero“, alias contra in ipsius fabulae contextum aliqua ratione insertas esse, sed ubique fere tam neglegenter et infeliciter, ut aut cum primariis adversis frontibus pugnarent (cf. fabulas de Socrate, de Haemo latrone de agasonis morte, de rustici calamitate) aut propter illas interpositas proxima valde perturbarentur (cf. VI 25, IX 9). Adiectas esse praeterea multas descriptiones tumidissimas et quasdam meditationes ineptissimas II 8, 9, X 33. Denique in singulis saepissime Apuleianam narrationem a ‚Lucianea‘ distare, et fere ita, ut Graeca multo praestantior esset et non ‚Lucianum‘ sed Apuleium exemplar mutasse primo aspectu intellegas. Quorum locorum cum ingens sit numerus, non mihi opprobrio datum iri puto, quod paucorum tantum et gravissimorum mentionem feci (I 22 II 3 II 7 III 22 VIII 23, 27 IX 1, 42).

Quae cum ita sint, necessario colligendum est neque ‚Lucianum‘ Apulei neque Apuleium ‚Luciani‘ ducem esse, sed utriusque librum ex communi fonte fluxisse, in quo lacunae in Asino detectae eadem ratione atque in Metamorphosibus expletae fuerint, et locis quibusdam in Asino confusis et distractis maiores narrationis partes interpositae. Hoc igitur exemplar in Asino epitomatum, sed praeterea satis accurate servatum exstat, in Metamorphosibus contra in singulis mutatum et ubique maxime dilatatum. Non potest dubitari, quin hic fons communis fuerint libri duo priores Lucii Patrensis Metamorphoseon, quos Photius memoriae tradidit idem argumentum tractasse atque Asinum ‚Lucianeum‘ sed paullo latius et fabulis quibusdam adiectis, quae in Asino omissae essent. Poterimus igitur archetypi narrationem ita satis accurate restituere, ut ‚Luciani‘ textum substruamus lacunasque eius ex Apuleio expleamus; qua in re illud tamen non est obliviscendum ex Apuleio minus integram et sinceram exemplaris imaginem recuperari quam ex Luciano, quoniam Apuleium in singulis quoque

alia mutasse, alia adiecisse probabile est. Tabellam iam proponam, ubi, quid hac disputatione de primi auctoris narratione cognitum sit, uno in conspectu appareat. Componi igitur debent ad archetypum restituendum

‚Luciani'.		Apulei.
cap. 1.	adiunctis in fine eius aliisque quibusdam, quorum loco Apuleius de Socrate fabulam inseruit. vide pp. 26—30.	I 3, 4, 20
„ 2—7.	adiectis initio cap. 7 vide p. 33.	II 11—14
„ 8—11.	adiectis initio cap. 11 vide pp. 33—37.	II 18, 31, 32 III 1—18
„ 12—17.	lacunae parvulae in cap. 15 et 17 ex Apuleio non possunt expleri, sed quid inserendum sit, facile per se perspicitur. vide pp. 38—40.	
„ 18—22.	insertis in cap. 22 post verba συνέκλαον ἐκείνῃ τῇ καλῇ παρθένῳ, quae una cum reliqua Charitae fabula necessario ad Lucinum referenda sunt	IV 24—27.
„ 22—26.	insertis ante verba cap. 26 ὄρθρος δὲ ἦν ἔτι κτλ. aliisque quibusdam lacunis parvulis ex Apuleio expletis. vide p. 12—15.	VII 1—4, 9—13
„ 27—40.	insertis post cap. 40 vide p. 17.	IX 3—4
„ 41—42.	insertis post cap. 42 et aliis quibusdam, quorum loco Apuleius exhibet IX 29—31. vide pp. 19—21.	IX 11—16, 22, 23, 26—28
„ 43—44.	inserto in initio cap. 44 post verba παίει τῇ μάστιγι τὸν κηπουρόν maiore parte cap. vide pp. 23—24.	IX 39.
„ 45—46.	inserto in initio cap. 46 vide p. 25.	X 1.
„ 47—56.		

De colore et habitu narrationis iam vix quisquam poterit dubitare, quin ea eadem ratione perscripta fuerit atque Asinus ‚Lucianeus‘, iocosa illa et ironica et a posterioribus fabularum Romanensium scriptoribus diversissima. A quorum consuetudine eo quoque prorsus abhorret, quod fastidit omnes descriptiones tumidas et exaggeratas, quas illi in deliciis habent, omnesque res nativa quadam narrat simplicitate et veritate (conferas quae supra exposui de latronum vitae descriptione). Atque illud quoque notabile est, quod rebus eroticis, in quibus solis omnium posteriorum fabulae occupatae sunt, minimum spatii datum est, eaeque prorsus aliter tractatae sunt, magis ad Petronii i. e. fabularum Milesiarum similitudinem.

Ipsius argumenti summam recte suspicatus esse mihi videtur Rohdeus (Mus. Rhen. XL 93—95) auctorem traxisse ex fabula aliqua populari, quarum fabularum consuetudinem et habitum ipso quoque sermone imitari voluisse videtur et ob eam causam simplicitatem quandam et duritiam fere affectasse illis fabellis propriam et insitam. Quod quia neglexit Hercherus, multas corruptelas multasque interpolationes eius modi Asini locis statuit, qui ex illa imitatione facillime possint explicari.

Quibus expositis de habitu libri et argumento iam de consilio eius quid investigari possit, breviter afferam. Proficiscendum autem puto a verbis illis capitis 55 mutilatis, ubi de se ipso, patria, familia Lucius respondet praesidi percontanti Πατὴρ μέν, ἔφην, . . . ἔστι μοι Λούκιος, τῷ δὲ ἀδελφῷ τῷ ἐμῷ Γάϊος. ἄμφω δὲ τὰ λοιπὰ δύο ὀνόματα κοινὰ ἔχομεν. κἀγὼ μὲν ἱστοριῶν καὶ ἄλλων εἰμὶ συγγραφεύς, ὁ δὲ ποιητὴς ἐλεγείων ἐστὶ καὶ μάντις ἀγαθός· πατρὶς δὲ ἡμῖν Πάτραι τῆς Ἀχαίας. Optime de hoc loco Rohdeus in libello qui est de ratione inter Luciani Asinum Luciique Metamorphoses intercedente p. 12 exposuisse mihi videtur, quod Lucius tam accurate de familia et studiis verba faceret, non bene posse explicari nisi poneremus, toto hoc libello certum aliquem scriptorem, ad quem omnia illa quadrarent, irrisum esse. Iam vero Asini ‚Lucianei‘ indole perspecta necessario colligendum est una cum reliquis etiam totum caput 55 ex Lucio transscriptum esse ideoque, quod inde iste collegit de Asino, pertinere potius ad Lucii exemplar. Atque videtur ista coniectura ipsa libelli illius com-

positione valde firmari, quam breviter nunc velim mecum recognoscas.[1])

Lucius quidam iuvenis in Thessaliam iter facit, quem Chaldaeus, cum de eius proventu inquireret, historiam magnam et incredundam fabulam et libros futurum respondit. Est ille Lucius rerum mirabilium studiosissimus, cumque ex duobus comitibus alter miras quasdam fabellas de Thessalicarum mulierum diris conaminibus protulisset, ob easque ab altero valde risus esset, se omnia illa credere profitetur, omnibusque viribus Hypatis, quo devertitur, anniti constituit, ut ipse tale quid miri videat. Cumque hoc ei contigisset, et hospitis sui uxorem, quae et ipsa artis magicae peritissima erat, ancillae auxilio conspexisset in avem transformatam, iam ab illa impensissimis precibus petit, ut se quoque in aliam speciem convertat, ut experiri possit, num forma mutata sensum humanum retenturus sit. Sed plurimi stat ei haec nimia curiositas. Ancillae enim socordia pro ave in asinum mutatur et a latronibus inrumpentibus una cum equo suo abducitur. Atque iam calamitatibus innumerabilibus eisque saepe ridiculis vexatur, dum singulari eius docilitate casu cognita ad meliorem vitae statum pervenit tandemque in theatro Thessalonicensi reformatur. Atque cum spectatores ut magum eum comburere vellent, casus suos omnibus exponit, sique se mentiri putent petit a praeside, ut tamdiu in custodia teneatur, dum illa omnia testibus confirmata sint. Postulat tunc praeses, ut nomen patriamque suum dicat; sed vix illis auditis statim amplexatur eum filiumque esse hominum sibi carissimorum profitetur, quem non mentiri posse sibi persuasum esse.

Hoc est argumentum ‚Lucii Patrensis' libelli. Iam si ponimus, scriptorem illo loco mutilato significatum, qui ἱστοριῶν[2]) καὶ ἄλλων συγγραφέα se ipse appellat fuisse paradoxographum[3]) mirarum Meta-

---

[1]) Vix est, quod moneam me in hoc summario eam huius libelli formam sequi, quam superiore disputatione restitui.

[2]) Vocem ἱστοριῶν patet hoc loco non ita intellegi posse, ut Lucius ille historicus fuerit, quod Rohdeus voluit in libello suo p. 24, sed eodem sensu positam esse atque in libris Luciani ἀληθὴς ἱστορία, Aeliani ποικίλη ἱστορία, Ptolemaei καινὴ ἱστορία alia.

[3]) Cum hac re cohaerere videtur frequens vocis παράδοξος usus in hoc libello obvius. vide capp. 4, 5, 11, 48 (bis), 49, 50.

morphoseon fabularum studiosissimum inque libellis suis de eiusmodi quoque quaestionibus verba fecisse, qualis est illa in capite 13 obvia, num homines mutati sensum humanum retinerent, hic libellus, quo, dum παραδόξους μεταμορφώσεις videre hominumque conversorum condicionem cognoscere enixe cuperet, se in mutationem ridiculam incidisse mutatumque novis semper calamitatibus vexatum esse ipse narrat, atque in fine, ne quis haec ficta putet et ementita, ipse praeses testis introducitur, nonne huius studii optima et salsissima esse videtur irrisio? Plenum scriptoris irrisi nomen parodiae auctor, praesertim cum homo Romanus esset isque sat nobilis cum provinciae praeside intima amicitia coniunctus, apponere non ausus est,[1]) sed eis, quae de eius ipsius fratrisque studiis attulit, hominibus tunc litterarum studiosis haud obscure significavit. Verum tamen non putide in solo Lucio Patrensi irridendo sese continuit, sed multa saepe fabularum condimenta adspersit, quae cum illo consilio minime cohaerent; atque ea ratione ductus non solum libellum invectivum composuit sed etiam fabulam iucundissimam.

De huius auctoris nomine et vita nihil sciri potest, de tempore hoc fortasse colligi, eum non ita multum ante Apulei Metamorphoses scripsisse, quas recte Rohdeus ad annos 151—155 rettulisse mihi videtur (Mus. Rhen. XL 75 sqq.). Indicem autem eius fuisse Μεταμορφώσεων λόγους certissime consequitur ex versione Apuleiana.

---

[1]) Non recte statuit Rohdeus, in lacuna illa, qua patris nomen abreptum est, plenum illud exhibitum fuisse adiecto nomine gentili et cognomine. Nam etiam in Lucii Metamorphoseon loco praenomen solum lectum esse Photius certissime firmat, cum auctorem Lucium appellat. Atque reicitur Rhodei sententia etiam enuntiato illo τὰ δὲ λοιπὰ δύο ὀνόματα κοινὰ ἔχομεν, quod molestissimum esset, si haec duo nomina praecederent; idemque si absunt, aptissime a scriptore appositum est, ut Lucio plenum et verum esse nomen Latinum significaret. Sed patet tamen ex insequenti praesidis responso ita patrem appellatum esse, ut ab aequalibus facile inde cognosci posset. Unde conicias simili ratione atque in Lucio Gaioque ad eius praenomen studii alicuius, cuius laude floreret, commemorationem fuisse adiunctam.

Sententiae controversae.

---

1. Xenophontis Ephesii Ἐφεσιακά epitome sunt inaequaliter facta fabulae multo amplioris vere sophisticae.
2. Historia Apollonii regis Tyri ex Graeco exemplari manavit, quod ante Xenophontis Ἐφεσιακά perscriptum est.
3. Ea, quae leguntur in h. A. r. T. a cap. 29—32, ex fabella aliqua populari in suum usum auctor convertit.
4. In h. A. r. T. cap. 34 pro „quomodo tecum novilia?“ quod codex β exhibet, (editores vulgo omittunt „novilia“) „novicia“ scribendum est.
5. Iamblichi δραματικόν recte Suidas tradidit triginta novem libros comprehendisse.
6. Aristidis Μιλησιακά fabula erant continua Petronii saturarum similis.
7. Apulei Metamorphoses sine nomine editas esse primum caput probat.
8. Narrationis de Promethei fraude forma primaria ita composita fuit, ut Jupiter inscius deciperetur. Quod cum Hesiodus mutavit, fabulae sensum corrupit.
9. In Catulli carmine 29 extremi duo versus ante versum 11 iterandi sunt.

VITA.

Carolus Bürger natus sum die III mensis Aprilis a. 1866 in vico Seitsch in confinio Silesiae et Posnaniae sito patre Oscaro inspectore oeconomico matre Maria e gente Willenberg. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus vere anni 1876 receptus sum in quartum ordinem gymnasii regii evangelici Glogoviensis, quod auspiciis floret Hasperi viri humanissimi. Maturitatis testimonium adeptus vere anni 1883 Berolinum commigravi, ubi per octies sex menses studiis philologicis operam navavi. Docuerunt me viri doctissimi: Diels, Dilthey, H. Droysen, Hirschfeld, Hübner, Kiepert, A. Kirchhoff, Klebs, Köhler, Maass, Paulsen, Robert, Schröder, Vahlen, Wattenbach, Zeller. Ad exercitationes philologicas Maass et Diels, ad archaeologicas Robert, ad historicas Klebs, Droysen, Köhler, ad philosophicas Paulsen benigne aditum mihi permiserunt. Seminarii regii philologici per duo semestria sodalis fui ordinarius. Denique inde ab extremo mense anni 1883 sodalis fui societatis academicae philologicae Berolinensis.

Gratias ago candidissimas cum viris quos nominavi omnibus, tum Maassio, Kirchhoffio, Vahleno denique Dielsio, qui semper studia mea summa benevolentia adiuvit.

